



**Georgii Fabricii Chemnicensis Rerum Misnicarum libri VII.:  
Electorum Saxoniae lib. I. Marchionum Misnensium lib. I.  
Annalium urbis Misnae lib. III. Siffridi Misnensis presbyteri  
Epitomes lib. II.**

<https://hdl.handle.net/1874/422579>

-2

# Georgii Fabricii CHEMNICENSIS Rerum Misnicarum LIBRI VII.

ELECTORVM SAXONIAE LIB. I.  
MARCHIONVM MISNENSIVM LIB. I.  
ANNALIVM VREBIS MISNAE LIB. III.  
SIFFRIDI MISNENSIS PRESBYTERI  
EPITOMES LIB. II.



Omnia nunc recens edita

LIPSIÆ  
CYRANTE ERNESTO VOEGELINO,  
CVM PRIVILEGIO.

G


Georgij H. Apicci

chernomoristis

H

goloty

mil



Omnia nunc locuta estis

Et Iustis

Quare si Beniamino Vosqueris

Cx. n. tripli et cito.

ILLVSTRISS.  
DVCIS AC DOMINI  
D. AVGVSTI SAXONIAE  
ELECTORIS FILIO  
ILLVSTRI  
D. CHRISTIA-  
NO, LANDGRAVIO  
TVRINGIAE, MARCHIO-  
NI MISNIAE,  
S. D.

Georgius Fabricius  
Chemnicensis.



AIORES TVOS, CHRISTIANE Princeps, Domine illustris, Regum Saxoniæ nobilissimam esse profapiam, literis & monumentis constat: quorum fortitudinem, iusticiam, grauitatem, res præclaræ gestas cognoscere, pulchrum est: non ciui solùm aut subdito, præstantium dominorum studioso & obseruanti: sed posteris etiam ipsorum, quos virtutem & gloriam hæreditariam tueri decet, & imitari conuenit, & superare magnificum est. Igitur cùm ante annos sedecim, otij aliquantulum à munere solito, propter morbi contagiosi popularitatem, nactus essem, ludo dissipato, & dispersis adolescentulis: cœpi nostrorū Du-

## E P I S T O L A

cum facta laudabilia annotare, tum honoris & ve-  
nerationis Principum ipsorum, tum meæ memorie  
causa: putabam enim turpe externa inquirere, &  
res peregrinas admirari, & bona propria ac patria,  
positamq; ante oculos virtutem non considerare.  
Intuens autem in statum Reipub. præsentem, & tuæ  
Princeps Familiæ antiquæ originem repetens pro-  
pinquam, hos duos libellos collegi, primum de  
Electoribus, qui ab Othonis 111. Imperatoris æta-  
te, hanc dignitatem inter Saxones tenuerunt. Al-  
terum, de Principibus Misniæ, quos Marchiones  
nominant, ad tuendos imperij fines atque limites,  
ab Henrico 1. Aucepe, in Germania Magna con-  
stitutos. De ortu Electorum sequor opinionem  
communem, & eorum facta recensui breuissime,  
quibus sibi nomen pepererunt, etiam aliquot bene-  
ficia commemorauit, quibus meriti de Repub. sunt  
amplissime, nec non clades aliquot & damna ad-  
didi, vt admoniti exemplis posteri, esse homi-  
nes se meminerint, & sciant felicitatem gubernationis,  
solius Dei esse beneficium. Quis enim eue-  
xit Lotharium? quis de potentia maxima deiecit  
Leonem? quis tuum CHRISTIANE Princeps  
atauum Fridericum ornauit atque extulit? Nonne  
is, qui potestatem in regna habet, ciq; tribuit, cui  
ipse fauet? Marchionum Misnensum ortum sumo  
a Thimone Comite Lansbergio & Vuetino, cui  
post cædem Ecberti 11. Marchionis Saxoniæ, qui  
ausus imperium affectare fuit, Misnensis prouincia  
data est, quam ipsius filio Conrado conseruauit ar-  
mis Lotharius Saxo. Imp. qui has regiones suis opi-  
bus,

D E D I C A T O R I A.

bus, & sua sapientia defendit, dominisq; proprijs asseruit. A quo tempore , inter fortunæ varieta tem, bellis ciuilibus grauibus , & externis admodum periculosis, hæc gens incrementa semper ce pit, & Henrici vi. Adolphi. Alberti i. regum Romanorum cupiditatibus constanter restitit. Adiecta deinceps est ad possessiones maiorum Turingia, ditio Pleisensis, & Orientalis: pars item Franciæ, & Vodlandia, donec etiam accessit Saxoniam ducatus, & Electoris dignitas. Quod imperium adhuc durat, & familiæ tuæ , Princeps illustris, & maiorum tuorum amplificat dignitatem : qui & fortunas suas auxerunt splendide, & in his terris, vrbes lautas & amplas, metallis ditati , condiderunt : nec minus celebres sunt , quam illi , de quibus poëta maximus scribit , Reges Albani , qui clim

*Nomentum , & Gabios , urbemq; Fidenam,*

*Et Collatinas posuerunt montibus arces,*

*Pometios , castrumq; Inni , Bolamq; , Coramq;*,  
qui vrbium conditores & seruatores rectius prædicantur, quām saeuissimi illi viri, qui Αολίπορθοι καὶ αὐδεοφόροι nominantur. Hos duos libellos exiguos, capita tantum rerum continentes, tuo, Princeps illustris, nomini inscribo, obseruantia causa , & peto humiliter, vt animo æquo pro tua indole generosa accipias , & maiorum virtutibus ac benefactis intentus, maiore cupiditate legas. Deus aternus amplissimam adolescentiam tuam placidè regat, & in optata felicitate conseruet perpetuò. E ludo il lustri, Misna Hermundurorum , Cal. Sept. Anno à Christo seruatore M. D. L X I X .

100  
101  
102  
103  
104  
105  
106  
107  
108  
109  
110  
111  
112  
113  
114  
115  
116  
117  
118  
119  
120  
121  
122  
123  
124  
125  
126  
127  
128  
129  
130  
131  
132  
133  
134  
135  
136  
137  
138  
139  
140  
141  
142  
143  
144  
145  
146  
147  
148  
149  
150  
151  
152  
153  
154  
155  
156  
157  
158  
159  
160  
161  
162  
163  
164  
165  
166  
167  
168  
169  
170  
171  
172  
173  
174  
175  
176  
177  
178  
179  
180  
181  
182  
183  
184  
185  
186  
187  
188  
189  
190  
191  
192  
193  
194  
195  
196  
197  
198  
199  
200  
201  
202  
203  
204  
205  
206  
207  
208  
209  
210  
211  
212  
213  
214  
215  
216  
217  
218  
219  
220  
221  
222  
223  
224  
225  
226  
227  
228  
229  
230  
231  
232  
233  
234  
235  
236  
237  
238  
239  
240  
241  
242  
243  
244  
245  
246  
247  
248  
249  
250  
251  
252  
253  
254  
255  
256  
257  
258  
259  
260  
261  
262  
263  
264  
265  
266  
267  
268  
269  
270  
271  
272  
273  
274  
275  
276  
277  
278  
279  
280  
281  
282  
283  
284  
285  
286  
287  
288  
289  
290  
291  
292  
293  
294  
295  
296  
297  
298  
299  
300  
301  
302  
303  
304  
305  
306  
307  
308  
309  
310  
311  
312  
313  
314  
315  
316  
317  
318  
319  
320  
321  
322  
323  
324  
325  
326  
327  
328  
329  
330  
331  
332  
333  
334  
335  
336  
337  
338  
339  
340  
341  
342  
343  
344  
345  
346  
347  
348  
349  
350  
351  
352  
353  
354  
355  
356  
357  
358  
359  
360  
361  
362  
363  
364  
365  
366  
367  
368  
369  
370  
371  
372  
373  
374  
375  
376  
377  
378  
379  
380  
381  
382  
383  
384  
385  
386  
387  
388  
389  
390  
391  
392  
393  
394  
395  
396  
397  
398  
399  
400  
401  
402  
403  
404  
405  
406  
407  
408  
409  
410  
411  
412  
413  
414  
415  
416  
417  
418  
419  
420  
421  
422  
423  
424  
425  
426  
427  
428  
429  
430  
431  
432  
433  
434  
435  
436  
437  
438  
439  
440  
441  
442  
443  
444  
445  
446  
447  
448  
449  
450  
451  
452  
453  
454  
455  
456  
457  
458  
459  
460  
461  
462  
463  
464  
465  
466  
467  
468  
469  
470  
471  
472  
473  
474  
475  
476  
477  
478  
479  
480  
481  
482  
483  
484  
485  
486  
487  
488  
489  
490  
491  
492  
493  
494  
495  
496  
497  
498  
499  
500  
501  
502  
503  
504  
505  
506  
507  
508  
509  
510  
511  
512  
513  
514  
515  
516  
517  
518  
519  
520  
521  
522  
523  
524  
525  
526  
527  
528  
529  
530  
531  
532  
533  
534  
535  
536  
537  
538  
539  
540  
541  
542  
543  
544  
545  
546  
547  
548  
549  
550  
551  
552  
553  
554  
555  
556  
557  
558  
559  
559  
560  
561  
562  
563  
564  
565  
566  
567  
568  
569  
569  
570  
571  
572  
573  
574  
575  
576  
577  
578  
579  
579  
580  
581  
582  
583  
584  
585  
586  
587  
588  
589  
589  
590  
591  
592  
593  
594  
595  
596  
597  
598  
599  
599  
600  
601  
602  
603  
604  
605  
606  
607  
608  
609  
609  
610  
611  
612  
613  
614  
615  
616  
617  
618  
619  
619  
620  
621  
622  
623  
624  
625  
626  
627  
628  
629  
629  
630  
631  
632  
633  
634  
635  
636  
637  
638  
639  
639  
640  
641  
642  
643  
644  
645  
646  
647  
648  
649  
649  
650  
651  
652  
653  
654  
655  
656  
657  
658  
659  
659  
660  
661  
662  
663  
664  
665  
666  
667  
668  
669  
669  
670  
671  
672  
673  
674  
675  
676  
677  
678  
679  
679  
680  
681  
682  
683  
684  
685  
686  
687  
688  
689  
689  
690  
691  
692  
693  
694  
695  
696  
697  
698  
699  
699  
700  
701  
702  
703  
704  
705  
706  
707  
708  
709  
709  
710  
711  
712  
713  
714  
715  
716  
717  
718  
719  
719  
720  
721  
722  
723  
724  
725  
726  
727  
728  
729  
729  
730  
731  
732  
733  
734  
735  
736  
737  
738  
739  
739  
740  
741  
742  
743  
744  
745  
746  
747  
748  
749  
749  
750  
751  
752  
753  
754  
755  
756  
757  
758  
759  
759  
760  
761  
762  
763  
764  
765  
766  
767  
768  
769  
769  
770  
771  
772  
773  
774  
775  
776  
777  
778  
779  
779  
780  
781  
782  
783  
784  
785  
786  
787  
788  
789  
789  
790  
791  
792  
793  
794  
795  
796  
797  
798  
799  
799  
800  
801  
802  
803  
804  
805  
806  
807  
808  
809  
809  
810  
811  
812  
813  
814  
815  
816  
817  
818  
819  
819  
820  
821  
822  
823  
824  
825  
826  
827  
828  
829  
829  
830  
831  
832  
833  
834  
835  
836  
837  
838  
839  
839  
840  
841  
842  
843  
844  
845  
846  
847  
848  
849  
849  
850  
851  
852  
853  
854  
855  
856  
857  
858  
859  
859  
860  
861  
862  
863  
864  
865  
866  
867  
868  
869  
869  
870  
871  
872  
873  
874  
875  
876  
877  
878  
879  
879  
880  
881  
882  
883  
884  
885  
886  
887  
888  
889  
889  
890  
891  
892  
893  
894  
895  
896  
897  
898  
899  
899  
900  
901  
902  
903  
904  
905  
906  
907  
908  
909  
909  
910  
911  
912  
913  
914  
915  
916  
917  
918  
919  
919  
920  
921  
922  
923  
924  
925  
926  
927  
928  
929  
929  
930  
931  
932  
933  
934  
935  
936  
937  
938  
939  
939  
940  
941  
942  
943  
944  
945  
946  
947  
948  
949  
949  
950  
951  
952  
953  
954  
955  
956  
957  
958  
959  
959  
960  
961  
962  
963  
964  
965  
966  
967  
968  
969  
969  
970  
971  
972  
973  
974  
975  
976  
977  
978  
979  
979  
980  
981  
982  
983  
984  
985  
986  
987  
988  
989  
989  
990  
991  
992  
993  
994  
995  
996  
997  
998  
999  
999  
1000

M I C H A E L B O Æ M V S  
Pirnensis in Electores & Mar-  
chiones FABRICII.

ENsiferi quaecunq; Duces gessere , vel armis ,  
Vel nitidas olea pace tegente comas :  
Quos patrijs hostes oris , ingentibus ausis ,  
Repulerint , ipso nomina magna sono ,  
Quiq; Palæstina populi , Latijg; ferocis ,  
Ilorum iussi subdere colla iugo ,  
Et quanto Oceani stagnarint sanguine fluctus ,  
Sensit ubi nostros Danica terra viros :  
Fabricius canit hic , sed nudis ampla recenset  
Tantum nominibus , nobilis acta domus :  
Et quæ præterea longinquis gesserit annis  
Marchio , cui fato Misica terra data est :  
Qui sua Pannonios contra , rigidosq; Polonos ,  
Sustinuit forti castra mouere manu .  
Nec patria passus consistere sede Boëmos ,  
Quos bilis furijs egerat atra suis ,  
Quiq; nouas celsis firmauit mœnibus urbes ,  
Vulneraq; ob patriam cepit honesta suam .  
Hæc lege , ne quondam dubijs ambagibus erres ,  
Cùm fuerint grandi scripta legendà sono .  
Nauita sic primum turres & summa salutat  
Culmina : sic viridi grama vere placent :  
Sic capimur , primum formas ubi pictor adumbrat ,  
Et rerum obscuro membra colore notat .

His ventura dies longè maiora reseruat ,  
O utinam tandem prodeat illud opus .  
Id quibus excipiam verbis , quæq; oscula figam ,  
Quos motus tacito pectore letus alam ?  
Interea tibi mane preces , tibi vespere sero ,  
Magne Deus , grato , quo decet , ore , canam :  
Viuat ut ille diu , nec duros exigat annos :  
Non est euentu spes caritura suo .

GEOR-

2

GEOR. FABRICII  
CHEMNICENSIS  
DE  
ILLVSTRISS.  
SAXONIAE DVCIB. ET  
ELECTORIB. IMPERII.  
ENARRATIO.

IMPERII Germanici statum, Pontificum Romanorum cupiditate & iniurijs laceratum, ac pñc euersum, sua restituit virtute & sapientia Otho III. Imperator: qui, vt bellorum ciuilium cauñas præcideret, exterisq; ad imperium aspirandi spem interciperet: Sexuiros constituit, quorum iudicij & sententia dignus Princeps eligeretur, qui Romani Imperatoris nomen dignitatemq; obtineret. Eum honorem detulit ad tres antistites, Moguntinum, Colonensem, Treuirensim, & ad totidem præcipuos Principes, Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ, Marchionem Brandenburgium: ut illis ordinibus sapientium & fortium virorum coniunctis, magis stabiliretur gubernatio. Aditus postea Rex Boëmiæ est, qui inter dissentientes haberet discernendi auctoritatem. Moguntinus appellatur Cancellarius Germaniæ, Colonensis Italiae, Treuirensis Galliæ & Arelati. Palatinus dapifer, Saxo ensifer, Brandenburgius Camerarius, Rex Boëmiæ pincerna. Othonis sanctio facta est,

Otho III.  
Imperator.

Dukes Ele-  
ctors.

**G**regorius  
V. Pontifex.

Ita est, circa annum Christi secundum & millesimum, confirmante eam Gregorio quinto Romano Pontifice, è ducibus itidem Saxoniæ nato, & Othonis Magni Imp. pronepote, Lodolphi nepote, Othonis filio. Est autem, siue spectetur auctoritas, seu publici consilij potestas, secundum nomen regium, hodie nullum in terris amplius, & cum magnitudine ac splendore Electoris comparandum. Munus Saxonici Electoris ferè eiusmodi est, quale præfecti prætorio apud Romanos fuit. Qui de sanctione Othonis dubitant, ijs alio loco respondebimus. Manxit autem ista dignitas vsq; ad hæc tempora, in quinq; familijs. Prima Ducum Luneburgiorum, è qua numerantur Electores tres: altera Comitum Supplinburgij, è qua vnis Lotharius: tertia Ducum Bauariæ Guelforum, è qua duo: quarta Principum Anhaldinorum, è qua octo: ultima Marchionum Misnensium, è qua Electores totidem, quorum facta insignia & laude dignissima sunt, sed eorum tantum summas & capita breuiter notabo.

## D V C E S L V N E B V R G I I.

### BERNARDVS I.

**B**ERNARDVS I. quem alij Bennonem nominant, quæ res confusionem peperit: nam vnis idemq; Dux fuit: quamuis nomen diuersè scribitur. Hic est Hermanni filius, domo Billingorum, qui à sede Stubefgehorna, dicti sunt: Dux Luneburgi secundus, & primus Saxoniæ Elector, vir multis fa-  
ctis cla-

Etis clarus, Othoni III. Imperatoris strenuam Romæ operam nauat, cum fratre suo Lothario, contra Crescentij factionem. Vandalos occidentales aliquot prælijs superat, qui etiam si iugum excutere iracundè tentarent, huius tamen viribus cō redacti sunt, vt ipso viuente nihil hostile molirentur : sed importunitas & auaricia præfectorum eius fecit, vt doctrinam Christianam, quam sub Othonibus Imperatorib. didicerant, abiijcerent : eamq; non ad salutem animorum, aut libertatis dulcedinem, sed ad seruitutis auctoramentū tradi iudicarent. Circa annum Christi M V II. Henrico II. Imp. audacia iuuenili fit rebellis, sisus armis Mestouini Ducis Vandalorū : sed mature errorem agnoscens, Amelungi præfusis Mindensis, patrui sui precib. veniam supplex impetrat, suamq; obseruantiam erga eundem, bello Boëmico præclarè ostendit, & ad victoriā auctor præcipius fuit. Cum Hermano Turinīæ Landgrauio manus inauspicatō conserit. Du-

Auaricia  
noxia relli-  
gioni.

Rebellio.

Temeritas  
infelix.

## O R D O L P H V S.

ORDOLPHVS Bernardi filius, (quem Heroldius vbiq; Othonem perperam nominat, quod vicium exemplaris est) vir non instrenuus, sed infelix. Cum ditionem paternam cum Hermano fratre diuideret, virium minus habuit. A Vandalis propter odium in eius patrem conceptum, sæpius non

*Infelicitas  
in admini-  
strando.*

*Crudelitas  
barbara.*

non sine clade infestatur : ob fortunam bellis omnibus aduersam , demum à suis quoque deseritur , cùm à patris obitu annos duodecim rebus præfuisset. Vandali eo gubernante occiderunt Godeschallum Ducem Obetritarum , virum optimum , & in præfules fævierunt gladio & lapidationibus. Vxor eius Gisela , Olaui Daniae regis filia , ab ijsdem cum cruciatu necatur , vt Annales Saxonici tradunt.

## M A G N V S .

*Fortuna  
magno viro  
indigna.*

M A G N V S Ordolphi filius , & animo & virtute verè magnus. Contra Vandalos prælia secunda multa facit. Henricum Obetritam , Godeschalli filium armis restituit , Lusatiam imperij nomine recuperat. De Vandalis se vlciscens , decus fortitudinis poenè amissum , genti Saxonice reddit. Henricus IIII. Imperator , cùm se eius fidei permisisset , primūm eum mulcat exilio , & Ticinum in Insubriam ablegat , cum Friderico Saxonie Palatino , vt Annales Goteſeccij : hunc verò cùm liberasset , reductum etiam Magnum , in custodia detinet. Cùm molestiam illam multos annos tulisset , neque Othonis Bauariæ ducis precibus iustissimis , neque Hermani Saxonie Marchionis ope , promittentis captiuorum omnium pro redimendo ipso liberationem , consequi libertatem potest. Principi autem animi ac spiritus Saxonici , cum iniquæ nimis , & cum ipsius dedecore coniunctæ conditio- nes proponerentur , honestius visum est , omnes dif- ficultates

ficultates perpeti, quam de veterum dignitate aliquid diminuere, aut ab auita honoris possessione decidere. Electoris titulus, cum prole mascula careret, tandem ad filiae & neptis liberos peruenit. Obit suæ familiæ ultimus, m c v i. vt scribit Hedio. Sepelitur cum præstante foemina Sophia, Vuidrezlai, vt annales Saxonici: Geisa, vt alij, regis Vngariae filia, Luneburgi, cuius verbis maiores ipsius, quasi alteri conditores fuerunt. Nepos eius est filia Vuifildi, & pronepos ex Eilicha, uterque est Electorum adeptus, quodq; auo & proavo ipsorum fuerat ademptum violenter, id ipsi, fauore Principum, summo cum honore suo, obtinuerunt.

Libertas in  
animo.

## E C O M I T I B. S V P P L I N B V R G I.

### L O T H A R I V S I M P E R A T O R.

L O T H A R I V S Gebhardi, Comitis Supplinburgij in Hercinijs, filius, cognomento Aleator, quod & Augusto pene cuenit, quia lusu illo delectatus yterq; fuit. Species ei & animus, digna imperio fuerunt. Dux Saxonie creatur ab Henrico III. Imp. quam dignitatem, cum ab eo Henricus v. auferre, & in Hoierum Mansuedium transferre vellet: ad filiam Guelphonis prope Helmstetam, in campo ab alaudis dicto, cum ipso armis congregatur, prælioq; victor euadens, gradum sibi ad culmen imperij facit. Desiderata sunt ex vtraq; acie, quadraginta quinque hominum millia, pugnatumq; toto est die, donec nox prælium dirimeret. Loricæ hostibus

Dignitas  
summa dela-  
ta ad humili-  
tatem.

hostibus detraetæ, plaustris auchuntur: cætera arma, prædæ dantur militibus. In eodem loco trophæum erectum à Saxonibus de more est: vir armatus, tenens dextera clauam vncis ferreis grauem, sinistra scutum. Id postea cultum est ab agrestibus nomine ciuisdam Ceduti, donec dissiparetur à Vuernerio præsule Mersburgio. Vici eodem die fuerunt Vandali Transalbini, quos Imperatori contra Saxones suppetias laturos, inter Mildam & Salam fluuios Otho Ballenstadius, Magni Saxoniæ Electoris gener, superauit: anno supra millesimum centesimum quinto decimo, Calend. Februar. vt Helmoldus scribit, & inscriptio antiqua testatur, quæ ibi in facello quodam legi perhibetur,

*Anno milleno centeno, ter quoq; quino*

*Siluam Guelphonis perfuderat unda cruoris:*

*Sunt hominum occisi quadraginta millia quing;*

*Ipso nempe die Dionysi, martyris almi.*

Non procul ab eo loco, vbi trophæum locatum fuit, Vuidertetam cœnobium condidit Reinhardus præsul Halberstadius. Post id prælium anno duodecimo Lotharius, præter animi sententiam conuentu Moguntino eligitur Imperator, viii. Calen. Sept. Coronatur Idib. Aquisgrani à Friderico antistite Coloniense. Imperium gubernauit, non modo fortiter, verum etiam insigni iusticia, fortitudine, & magnificencia. Eius temporibus (vt ait Helmoldus) lux oriri noua coepit, nec tam in finibus Saxoniæ, quam in vniuerso imperio: tranquillitas temporum, abundantia rerum, pax (vt ipse loquitur) inter regnum & sacerdotium. Continuis usus

victo-

Trophæi  
erectio.

victorijs, Fridericum Suecum cognomento Coelitem , & Conradum fratrem eius , imperium affe-  
 ctantes reprimit. Leopoldo etiam Duci Austriae,  
 & Carolo Flandriæ Comiti, spem regni aufert: hic  
 paulo post à suo ipse populo de vita tollitur. Ger-  
 hardi Comitis Geldrensis, à quo erat offensus, acci-  
 pit excusationem. Vrbem Magdeburgum schif-  
 mate periclitantem, metu seditionis liberat. Mo-  
 nasterium vrbem Vuestualia insiginem , partium  
 aduersariarum studiosam cremat, Noribergam, Spi-  
 ram, Augustam, Vlmam, rebelles ad imperata faci-  
 enda cogit, in Halim Saxoniam exempla statuit,  
 arcem Vinciburgam diruit. Bella externa gessit  
 plurima. Cum Vlrico Boëmorum Duce pro Otho-  
 ne Morauo pugnat die verno æquinoctiali. Mora-  
 uus auctor belli cadit: Marchio Albertus, & Ludo-  
 uicus Comes Larius, à Boëmis capiuntur. Hartung-  
 us Comes Nordalbingus interficitur. In Rugianos mouet,  
 Polonos facit tributarios, regem Dano-  
 rum, quamuis barbara laceffitus iniuria , supplicem  
 recipit. Nordalbingos dicto audientes facit, prin-  
 cipem Vandolorum fede ad Albim expellit, ipso-  
 rum idoli popularis statuam , quam denuo posuer-  
 rant, euertit, Pomeranos ad Christianam religio-  
 nem adducit ; Fridericum Alsatia ducem impu-  
 gnat, Langobardos contumaces compescit, Ligures,  
 Hetruscos, Picenos, Vmbros in dedit ionem ac-  
 cipit, Innocentium 11. Pontificem restituit armis,  
 Rudgerum Normanum cum Petro Pontifice sedi-  
 tioso, Apulia & Calabria exterminat , Saraceno-  
 rum reliquias è Brutijs fugat. Admiratione vir-  
 tutis

Victoris  
 Lotharii.

Magnifi-  
centia Impe-  
ratoris.

Studium  
religionis.

Leges &  
medicina re-  
parata.

tutis & felicitatis à CaloIohanne Imperatore Con-  
stantinopolitano , & à Bela ii. rege Vngarico gra-  
tulationis causa , accipit munera. Honores ipse  
viris fortibus & bene meritis largiens , imperij ma-  
iestatem plus , quam è maioribus quisquam extol-  
lit. Canuto regi , donat Obetritarum prouinci-  
am , Magnum ab Imperatore regni accipere insig-  
nia compellit , Vandalis ducem confirmat , Con-  
radam Vuetini comitem , Misniæ & Lusatiæ Mar-  
chionem facit , Ludouicum iii. Comitem Turin-  
giæ , eiusdem prouinciæ Landgratium , Erbonem  
comitem Ratisponensem , Ducem Carinthiæ . Al-  
berto Vrso ducatum Braudeburgium concedit , A-  
dolphum Schauenburgium linguis litterisq; excul-  
tum , Nordalbingiæ comitem creat , Reginaldum  
Normanum Bari & Apuliæ principem . Nec mino-  
rem munificentia splendore , quam pietatis , iusti-  
ciae , studiorum amore , laudem meretur . Diuum  
Bernardum , hoc ipso tempore , cultu religionis ce-  
lebrem , colit & obseruat , eiusq; admonitu sæpe er-  
ga hostes fuit clementior . Vurzburgijs Emeri-  
cum præsulem mittit : virum spectatum : Magde-  
burgijs , Conradum gentilem suum . Homburga-  
num & Aldestetense cœnobia ampliat . Item , Olse-  
num vetus , prope Verdam instaurat : & Lotharia-  
num , prope Brunsuigam , de suo extruit . Chem-  
nicense item extra urbem de fundamentis ædificat .  
Veteres Romanorum leges in Apulia repertas , so-  
cijs Pisaniis donat , qui libri nunc Florentiæ in pal-  
atio Mediceo afferuantur : easq; per Vuernerum Iu-  
reconsultum ( Itali Irnerium vocant , vt in eius epi-  
taphio

taphio legimus Patauij) mandat explicari, & ius secundum eas leges dici in imperio. Medicorum Arabum & Maurorum monumenta, in linguam latinam e Saracenica curat transferenda. Erat enim iaculo Iæsus in pede, quod vulnus cum ab Ebraeo curatum esset, ex eo scire voluit artis magistrum, qui Mauros ei commendauit. Arcem Sigeburgam, à victoria videlicet dictam, in loco quo Primislauum Vandalum vicerat, extruit in inferiore Saxonia. Vrbem Chemnicum ad eiusdem nominis fluum, in montium Suditarum radice, condit in Misnia, ideo Cæfareum cognominatum: ad differentiam eorum oppidorum, quæ idem nomen habent in Boëmia, quorum alterum est à sterilitate loci, alterum à malis hominum moribus appellatum. Aliam vrbem non procul à Reno de suo nomine, Cæsaris Lothariam appellat. Tot autem tantasq; res Lotharius & breui tempore gessit, vnde cimo enim sui imperij anno interiit: & non magnis gessit copijs, vt fottissimis & prudentissimis Imperatoribus conferendus videatur. A scriptoribus Italicis ita celebratur, quod in toto imperio nihil egerit, quod meritò repræhendi possit: Engelhusius tradit ipsum iusticiæ amatorem, & Constantini, Caroli, Othonum fuisse imitatorem. Ait etiam Frisingensis, potuisse eius virtute & industria, imperium ad pristinam dignitatem reduci, nisi fuisset morte celeri præuentus: quæ ei accidit anno Christi nativitatis M CXXXVII. præfente eius patruo Conrado, anti-stite Magdeburgio, vt ibidem annales declarant. Moritur autem in redditu in Germaniam inter Ve-

Conditor  
vrbium.

Commen-  
datio virtu-  
tis.

B ronam

ronam & Tridentum: villa humili. Sepelitur extra Brunsuigam in cœnobio Lothariano, cum uxore Richisa, Henrici Pinguis, comitis Northemij filia, quæ ab Othonis I. Imp. fratre Henrico, è Saxonica nobilitate, sexta stirps est. Morem eius antecepsit mirum prodigium, ut terra locis multis per totum biennium arderet: qui ignis nec imbribus, nec niuibus, nec alia arte potuit extingui: ut scribitur in Chronicis Martinianis. Lotharij in membranis vetustis tale inueni epitaphium,

*Lotharius sceptro, seu Carolus alter adepto,*

*Aequo iudicio p̄fuit imperio,*

*Diruit errorem regni, firmavit honorem,*

*Inclitus Italiae vīctor, & Apulia.*

*Exuitur membris, heu, trina luce Decembris,*


*Ecclesie gemitus, illius est obitus. Eius genealogia, quantum inuestigare potui, sic habet,*


## H E N R I C V S I. S V P E R B V S.

Contentio de Imperio. **L**O THAR IO Imperatore mortuo, Magni Saxonie Ducis nepotes, è Vuifildi filia, Henricus Guelfo dux Bauariæ, dictus à facie, Niger: à moribus, Superbus: & ex Eilicha filia, Albertus Vrſus Marchio Brandenburgius, cognomento Pulcher, æ quali contentione, nec impari studio atque gratia, de nomine & honore Electoris inter se certarunt. Henricum, ut Electoratum obtineret, in primis iuit Lotharij affinitas, nam Gertrudim eius filiam vnicam in matrimonio habebat: tum etiam fides & magnanimitas, quam bellis Italicis præstiterat.

*Affecta-*

Prodigi-  
um.





Affectati insimulatus imperij, & inde Superbus nominatus, Conrado III. Sueuo resistit, & prope Creyceburgum in Turingia cum eo congreditur: Superbia  
noxia est. tum Albertum Marchionem Brandenburgum sobrium suum, cui Saxoniæ ducatum Conradus dederat, exutum castris, fugat è Saxonia. Vrbem Plotscham diruit, & arcem Anhaltinam incendit. Ipsum redeuntem in Bauariam, quam idem Imperator Leopoldo Leopoldi F. Marchioni Austriæ, donauerat: alij morbo, alij veneno, alij dolore animi, quod ab omnibus nobilibus, quatuor exceptis desereretur, extinctum scribunt, secundo anno postquam Elector factus fuerat. Obiit 1111. Cal. Nouemb. Quedilnburgi. In cœnobio Lothariano, cuius modò meminimus, cum uxore, socero, & sociu tumulatus.

Mors in-  
certa.

## H E N R I C V S II. L E O.

H E N R I C V S secundus, Lotharij nepos, propter animos ingentes Leo dictus, princeps totius Germaniæ potentissimus, ab Albi ad Rhenum, à iugis Hercinijs usq; ad mare Balthicum ditionem extendit: in acquirendo, quam in retinendo fortunatior. In Vandalos quot facit expeditiones, tot victorijs fit illustrior, & populos illos barbaros ad aliquem vitæ cultum traducit: Niclotem Ducem eorum seditiosum occidit: filium eius, religionis desertorem suspendit. Episcopatus tres Lubecensem, Raceburgium, Suerinensem constituit, Imperatoris voluntate. Vrbem Leostadium de suo

Potentia  
nulla durat  
perpetuo.

nomine ædificat prope Hamburgam , & hanc igne consumptam restituit , & è ruinis Bardouici à se euersi, Luneburgum reparat. Vuerlam Vandalicum præsidium oppugnat. Pontem Ratisponæ struit super Danubium , opus præclarum : secundum quod in Misnia Dresdensis super Albim , & Pragensis in Boëmia super Vultaham memorantur. Primislaum Obetritam captum ferro vinciij: denuo rebellem laqueo strangulari iussit. Rapinis & latrocijs sublatis, otium & securitatem genti reliquæ comparat. Arnburgium comitem, quatuor præfulum auxilijs agit in exilium, Suenonem IIII. Regem Daniæ ab exilio reuocat, Vinaldemarum I. intra fines continet. Cum Henrico Conradi Imperatoris fratre , vitrico suo dimicat in Bauaria. Fridericum Barbarosam prælio supra pontem Aelium Romæ facto, effractis arcis portis, magno animo defendit, & è Romanis ciuibus M C L X V I . occidit, vt numerum pròdit Engelhusius. In obsidione Mediolanense , in qua portam virbis quartam ut Olomucensis , oppugnandam acceperat, Imperatorem deserit, eumq; Parthano Rhetiæ oppido sibi propemodum supplicem, fastu ingente contemnit. Inde reuersus in Germaniam , conuentum principum Goslariæ dissipat, officinas & machinas metallicas ibidem euertit, Herciniæ & Turingiæ populos vexat. Northusam & Molhusam vrbes imperiales incendit, Ludouicum III. Turingiæ Landgrarium , & Hermanum fratrem eius, item Vitichindum Valdeccium , & comitem Tecchenbergium capit: qui nominantur in Cosmodromio, qui liber Erfurdiæ

Pontes celebres.

Superbia  
ante ruinam.

Vindictæ  
cupiditas.

Erfurdiæ seruatur. In Saxonia Bardonicum cremat, & solo æquat, Halberstadium expugnat, & præsulem Ulricum necat in vinculis. Arcem Ascaniam, oppida Iuterbocam & Calbam cremat. In Misnia Diterici Marchionis Landsbergij ditionem depopulatur: nulli homini parcens, in omnes æquilater sœuiens, nam copijs Vandalicis vtebatur. Factum igitur est, ut propter Principum plurimorum accusations in comitijs Vurciburgijs, à Cæfare proscriberetur, edito grauissimo. Eidem Vuigmani antistiti Magdeburgij precibus reconciliatur ex parte, omnibus tamen prouincijs ereptis, præter vibes Luneburgam & Brunsuigam. Indictum ei præterea est trium annorum exilium: à Vualde-  
Exilium  
Principis.

maro rege Daniæ, hospitio non suscepitus, ad Richardum r. Regem Angliæ, affinem suum, confugit. Bauariam illi ademptam accipit Leopoldus Austriacus: Nortgoiam Otho Vuitelsbachius, Comes Schierensis, postea factus Rheni Palatinus: ditionem Transdanubianam, Henricus Austriacus: Vuestoualiam occupat Philippus Antistes Coloniensis, terram ultra Visurgim Bernardus præful Paderbornius: ducatum Luneburgum Bernardus princeps Anhaldinus, ad quem munus etiam Eleotoris Saxonici defertur: Palatinatum Saxonie, Hermanus Turingie Landgrauius: Hadeslebiam antistes Magdeburgius. Blanchebergam, Vualdebergam, & Lichtebergam diruit Imperator. Admit ei etiam Lubecam, quæ ad imperium adiungitur. Alij deniq; aliam atq; aliam terrarum consequuntur partem: multi enim Principes, dis-

Distribu-  
tio terrarum.

pendio & calamitate vnius, facti sunt ampliores. Post tot prouinciarum diminutionem, cum adhuc Imperatore beneuolo & æquo vti potuisset, reliquostamen Principes mitigare non potuit, ideoq; de suarum ditionum restitutione, vel ob iustum Principum indignationem, vel ob nimiaæ potentiaæ

*Insolentia asserta perniciem.* inuidiam, frustra saepius laborauit. Gratiam autem quam comparabat facilimè, insolentia multò facilius effundebat: alienatis à se amicissimis, etiam Vuigmano antistite: cuius tutelæ commiserat & vxorem reginam, & ditionem reliquam, cum iter in Palæstinam & Aegyptum susciperet. Ab Imperatore Constantinopolitano, & à rege Aegyptio honorifice accipitur, cum hic se eius affinem, & è matre Germana ortum affirmaret. In eius comitatu fuerunt Conradus præf禄 Lubecensis, & Buggo Vuormacius: comites Suerinus & Blanckenbergius.

*Peregrinatio.* Fortunæ mutabilis exemplum hic princeps fuit mirabile, & quasi Marius quidam, maxima potentia & parta feliciter, & amissa celerrimè. Obit v 111. Id. Aug. Brunsuigæ, supra millesimum centesimum quinto & trigesimo. Mortem eius eluuius Ocræ & Visurgis fluminum, & fulmen antecessit, quo conflagrarent ibidem turres summi templi & campanæ. Sepelitur in æde Blasiana, cum Mathilde Anglica, uxore nobilissima, regis videlicet filia, regum duorum forore, & matre Othonis 1111. Imperatoris. Coniugem priorem, non Turingicam, nec Carinthiensem, ut nostri perperam Chronographi scribunt, sed vt Helmoldus, Zaringiam repudiare ob propinquitatem coactus fuerat. Natus

*Varietas fortunæ.*

*Portenta.* Mortem eius eluuius Ocræ & Visurgis fluminum, & fulmen antecessit, quo conflagrarent ibidem turres summi templi & campanæ. Sepelitur in æde Blasiana, cum Mathilde Anglica, uxore nobilissima, regis videlicet filia, regum duorum forore, & matre Othonis 1111. Imperatoris. Coniugem priorem, non Turingicam, nec Carinthiensem, ut nostri perperam Chronographi scribunt, sed vt Helmoldus, Zaringiam repudiare ob propinquitatem coactus fuerat. Natus ex eo

*Felicitatis humanaæ exemplum.*

*Error Anælium.*

ex eo incestu filius, adhuc infans, negligentia nutricis de mensa cadens, fregit ceraunes, ut testatur Sarctorius. Electoratum gessit annos quadraginta, sed quindecim exulauit. Filius eius Otho <sup>1111.</sup> Romanorum rex creator.

Prae in-  
cestus.

## D V C E S A N H A L T I N I E T A S C A N I A E.

### B E R N A R D V S II.

BERNARDVS II. Alberti Vrsi filius, Othonis nepos, Magni Saxoniæ ducis ultimi è filia pronepos, è gente nobili principum Anhaldinorum & Ascaniensium, Henrico Leone exauctorato, in conuentu Vurciburgio anno Christi supra millesimum centesimum octuagesimo, dux Saxoniæ prouinciatur, ab Imperatore Friderico I. Barbarossa. Ditionem Electoratus Vitebergiam in suam potestatem redigit, primusq; sedem in superiore Saxonia eo in loco figit, concedente ei Conrado <sup>1111.</sup> eam prouinciam, quæ longo tempore domicilium Electorum postea fuit. Ludouicum Turingiæ Landgranium laceffit non sine magno incommodo, bellum enim quod sine maleficio suorum populorum gerebatur, in patriam incautus attrahit. Initio sui Electoratus arcem Leoburgum in ditione Raceburgia ampliat, eamq; dirutam ab Henrico Leone, denuo instaurat: à qua arce duces Leoburgij nomen gentile adhuc retinent. Floruit Bernardus non bellica tantum, verum etiam iusticiæ, ac

Merita pa-  
rentum pro-  
sunt posteris.

Provoca-  
tio infelix.

Ambitio  
impedita.

Libertas  
imperii re-  
tentia.

integritatis laude: nam Henrico vi. pecunia An-  
glica & Boëmica imperium Romanum licitante,  
vtq; hæreditarium , sicuti aliorum regnorum suc-  
cessionem, id faceret, annitente: acerrime resistit,  
efficitq; , vt quæcunque ea in re , promissa , consti-  
tuta, actæne vel sermonibus, vell literis, vell largitio-  
nibus essent, irrita planè fierent. Quod quidem fa-  
ctum ob conseruatam Germaniæ libertatem, alio-  
rum triumphis est anteponendum. Hoc legi in  
Chronico Saxonico, desinente circa annum M C C L .  
cuius iam aliquoties sum vsus testimonio. Insignia  
trabium auratarum , & nigrarum , ferti q; rutacei,  
quibus duces Saxoniæ nunc vtuntur , primus vspur-  
pauit. Obiit anno 1212. Sepelitur Ballenstadij  
cum duabus vxoribus Iutta Danica , & Sophia  
Turingica.

### A L B E R T V S I.

Fides in  
Socerum.

Expeditio  
in Asiam.

A L B E R T V S primus , Bernardi & Iuttæ filius  
in aula Friderici ii. educatus, in castris Cæsarianis  
militat , cùm vrbs Lubeca Danis erepta , & rursus  
restituta imperio est. Othonem iiiii. Imperato-  
rem , Henrici Leonis filium , socerum suum , quem  
& Henricus frater , & amici reliqui vel metu vel re-  
ligione deseruerant, impugnante ipsum Innocen-  
tio iii. Romano Pontifice , constantissimè defen-  
dit. Exercitus Christianorum , cùm Friderico ii.  
Imp. in Asiam & Aegyptum ipse sequitur , & in ijs  
honestos gerens ordines , ad urbem Pelusium , vel  
( vt Annales Turingici ) ad Heliopolim , ducis for-  
tissimi

tissimi laudem sibi comparat. Cum Helena Brun-suigia, in cœnobio Lenino duobus à Brandeburgo milliaribus sepelitur. Obiit ipse 1260. Vxor 1273. v i i i. Idus Sept. condita in Franciscano Vitebergæ, quod ipsa struxerat.

## A L B E R T V S . I I.

A L B E R T V S Secundus, Alberti primi filius, Rodolphi Imp. gener. Reges Romani tum in illo interregno annorum sex & viginti, fuerunt Henricus Turingus, Vilhelmus Holandus, Richardus Anglus, Alphonsus Hispanus: electioni Rodolphi Habsburgij, qui legitime vocatus ad supremam dignitatem est, ipse interfuit, & filij item eius Alberti. Contentiones ei præcipuæ cum Magdeburgijs, vi-ctus à Gunthero antistite est, cum Othonem Electo rem Brandenburgum socius iuaret. Eosdem ad Peinam viatos fugat, Vuennelingam capit, arcem Aquensem occupat, è qua rursus eiectus, in tumultu sagitta lethali percutitur: alij in electione Alberti in multitudine hominum oppressum tradunt. Rexit Elektoratum annos septem & triginta. De loco monumenti, vbi sit conditus dubitatur, ita vt & de mortis genere, varia opinio est. Filius ei cognomini, præful fuit Patauiensis. Vxor eius Agnes obit 1327. Sepelitur Vitebergæ.

Interre-  
gnom diutur  
num.

Principis  
mors incer-  
ta.

## R O D O L P H V S . I.

R O D O L P H V S Primus, patris Alberti ii. iniu-  
B 5 rias

rias persequens, bellum in Guntherum antistitem  
renouat, in primis opitulante Friderico III. Stre-  
nuo, Landgrauio Turingiae, & Misniæ Marchione,  
cumq; ciues multi prælio Ganderslebano, prope  
Borcañ, in hostiles manus venissent, pax vtrinque  
diu desiderata, confirmatur. Vualdemaro mortuo  
ditionem Brandenburgiam, domino vacuam inua-  
dit, & Francofurtum ad Aderam (quam, mixta cum  
articulo appellatione, Latini scriptores Viadrum  
nominant) Magdeburgiorum auxilijs obsidet: sed  
Ludouicus Imperatoris filius, cognomento Roma-  
nus, contra ipsum summa populi benevolentia de-  
fenditur atque recipitur. Electioni Imperatorum  
trium interfuit, Henrici V. Item Friderici Austria-  
ci contra Ludouicum Bauarum, huic tamen postea  
reconciliatus est, qui ei tribuit 1328. 6. Cal. Febr.  
Marchionatum Lansbergi veteris, in Marchia, post  
obitum Agnetis sororis suæ. Postremo etiam in-  
terfuit electioni Caroli IIII. apud quem in primis  
fuit gratiosus, hunc etiam gloria auita stimulatus,  
ad expeditionem Asiaticam in conuentu Princi-  
pum adhortabatur. Imperatoris aulam secutus,  
domum sumptuosam Pragæ ædificat, in quam (vt  
scribit Olomucensis) viuaria ex vitro, vt piscium  
litus essent conspicui, introducit. Vxores habuit  
Iutta Brandenburgiam, filiorum quatuor matrem,  
Cunegundim Polonicam, Agnetam comitissam  
Lindauensem. Iutta obit V. Id. Maij 1328.  
Cunegundis. v. Id. Apr. 1333. Agnes V. Id. Idus  
Maij 1343. Ipse Elector IIII. Id. Martij 1356.  
cum annos ditionem rexisset minus duabus sexa-  
ginta

Prælium  
pax comita-  
tur.

Electoris  
domus Pra-  
ge.

ginta, vnde etiam senior appellatus est. In diplomate quodam quod Misnæ seruatur, hunc eius titulum legi, Nos Rodolphus Dei gratia Dux Saxoniae, Angariæ, Vuestphaliæ, Comes in Bren, Burggrauius in Magdeburg, sacri Romani Imperij Archimarschallus. Comitatum Brenensem accepit ab amita sua Elisabetha, quæ Conrado ultimo comiti Brenensi fuit nupta : idq; factum concessu Rodolphi Imp. quæ litteræ scriptæ sunt Erfurdiæ, anno 1290. iiii. Calend. Iulij.

## R O D O L P H V S II.

R O D O L P H V S Secundus, Rodolphi senioris filius, è Iutta Othonis Marchionis Brandenburgij filia. Hic Princeps adolescens Philippo Pulchro Regi Gallorum militat contra Eduardum iiii. Regem Angliae. In eo bello cæsus Rex Boëmiæ Iohannes, & Angli obtinuerunt victoriam. In castris Anglicis fuit Fridericus cognomento Grauis, Landgrauius Turingiæ, & Marchio Misnensis. Rodolphus socijs suis victis reuersus domum incolumis, Vitebergæ templum cathedralē instituit. Litem ei intendit de Electoris dignitate Ericus ii. Dux Leoburgius, sed causa cecidit, & à iure successiōni est exclusus. De aliquot oppidorum visitatione, in vicinia ditionis Misnensis, cum Iohanne i. præfule contendit, sed ad aulam Pontificis Elector prouocans, ius antiquum obtinet. Moritur v iiii. Idus Decemb. 1370. Vxor eius Elisabetha comitissa Rupinensis 1373. iiii. Calend. Junij.

Templum  
Vitebergæ  
conditum.

V E N -

## V E N C E S L A V S.

V E N C E S L A V S Rodolphi II. frater senioris item filius, ex Agnete Lindauiense vxore tertia. Bellum in-  
testinum. Hic bellum gessit cum Magno duce Brunsuigio, & ei Luneburgum urbem primariam ademit: hunc ciues oderunt, seuerè nimis vtentem potentia sua, ideo etiam arcem in Colebergo diruerunt, Venceslai electoris auxilio subleuati: quod ne cupide hic tulisse videretur, cum reliquis Ducibus Luneburgijs affinitatem contrahit, fratribusq; Friderico ac Bernhardo Annam & Margaritham filias despondet. Cum autem potitus esset ditione Luneburgia, soli Cellenses ad Elleram fluuum repugnabant, quorum vrbs cum obsideretur, & regio propinqua fieret vasta, ante arcem Richlingam vulneratus oppedit. Obiit xvii. Cal. Iunij, anno 1388. Vxor Ziliola, vt nominat eam Forestus Bergomä: seu Cæcilia, vt nostri scriptores, fuit Francisci Carrariensis principis Patauni, & tum imperij generalis vicarij filia. Ea vidua vixit annum vnum & quadraginta, tumulata Vitebergæ, 1429.

## R O D O L P H V S III.

R O D O L P H V S III. Venceslai filius, Dux quidem prudens atque magnanimus, sed parum felix. Arces Pelticiam & Rabesteinum ab Alberto antistite Magdeburgio obsellas liberat, Dannebergum expugnat. Cum exauktorato Vuenceslao Boëmo, de electione Roperti Palatini, Principes non

non conuenissent, Francofurto ad Mœnum dece-  
dens, Fridslariae in Hassia, à comite Valdeccio ipse  
vulneratur, & præsul Verdensis Ulricus capitul: pro  
Electore propugnans Fridericus Dux Brunsvigius  
eius affinis, & Hætinghusius Eq. occiduntur. Factū  
id in profesto Pentecostes. Iohannes antistes Mo-  
guntinus gente Nassauiensis, de suspicione, quæ in  
eum transferebatur, sauciati & capti Principis,  
Marpurgi coram Imperatore se purgat. Missus ad  
Boëmos legatus, pleriq; veneno ab inuidis subbla-  
tum autumant. Obit 111. Idus Junij 1419. filijs or-  
batus tribus: Rodolpho, qui adolescens moritur,  
Venceslao & Sigismundo, quos noctu in arce Suei-  
nicia, ad Elistrum nigrum sita, ruina turris dormi-  
entes oppressit, & sunt in ripa illius fluuij argentea  
vasa à pescatoribus reperta, in ruderibus. Vxor  
eius prima Anna Baldasaris Landgrauij Turin-  
giæ filia obit 1395. vri. Calend. Augusti. Altera  
Barbara Roperti Ducis Lignicensis filia 1436. viii.  
Idus Maij. Si quid in hac enarratione dissentit à  
Crancio & Brodufio, meminerit Lector, me sepul-  
chorum inscriptiones habuisse, quas secutus sum:  
& cætera esse edictum à viro clarissimo Caspare  
Peticero, qui literas & monumenta Anhaldina di-  
ligentissime inspexit.

Princeps  
in itinere vul-  
neratur.

Orbitas &  
casus mirifi-  
cus.

### A L B E R T V S III.

ALBERTVS III. Rodolphi frater, vxorem  
habuit Offegam, non Gallicam Aurelianensem  
(quod nescio quo errore Annales affirment) sed  
Conra-

Conradi Ducis Ossensis in Silesia filiam, quam ei  
Vratislauiae despontit Sigismundus Imperator, in  
qua vrbe & insignia accepit, & nuptias Imp. præ-  
fente celebrauit, anno 1420. Hic Princeps for-  
tunatus parum fuit: nam cum animi causa venatum  
iuisset in saltus Lochauios, & cum vxore ac Gyne-  
cæo in casulam rusticam diuerteret, orto incendio  
nocturno, vix nudus euadit, morboq; e terrore  
contracto, paucos dies superuixit. Electoratum  
ultra triennium non tenuit, absq; hærede mortu-  
us, 1422. Postremus inter Anhaldinos Viteber-  
gæ sepultus. Cum hæres illi nullus esset, electora-  
tus ditionem occupat Fridericus Marchio Brande-  
burgius, cuius filius Iohannes, gener Rodolphi E-  
lectoris erat, propter filiam Barbaram. Ambiebant  
dignitatem eandem maximis partium studijs, Lu-  
douicus Elector Palatinus, & Ericus Dux Leobur-  
gius: sed repulsam vterq; non leuibus de causis tu-  
lit, quæ expressæ in Cæsariano diplomate sunt.  
Duravit in antiqua & illustri familia Anhaldina,  
dignitas amplissima annis continuis ducentis vi-  
ginti septem.

### L I A N D G R A V I I T V R I N G I A E E T M A R C H I O N E S M I S N E N S E S.

### F R I D E R I C V S I . B E L L I C O S V S .

In F R I D E R I C V S I . B ellicosus, Friderici Stre-  
nui filius, Landgrauius Turingiæ, & Marchio Mis-  
niæ. Adolescentiam omnem in castris agit. Con-  
tra fa-

tra faētionem coniuratorum, qui se Stellares nominabant, ductu Burggrauij Noribergij, militat in Francia. Cum Conrado ordinis Teutonici magistro, pro nominis Christi propagatione, in Borussia. Cum Vilhelmo patruo Pragam obsidet, in Boēmia. Domi rebus non satis pacatis, in Turingia Comites aliquot licentia insolentes compescit, Suarcebburgium, Heldrungensem, Hoēsteinum. In Misnia Apollonium Vicethumum arce Cribesteino ad Muldani ejicit, Comitem Reinstenum Ceruecij captum, Nicolao præsuli Mersburgio vincum tradit, Bernardum Anhaldinum pecunia mulctat, Ditericum Quitezanam fortunis exuit. De Repub. optimè, vltra annos quinque & viginti, resistendo Boēmis: nec minus præclare de literarum studijs meretur, Academia Pragense Lipsiam susceppta: quæ inchoatur anno supra millesimum quadragesimum nono, Prid. Idus Nouemb. à Iohanne Munsterbergio, eius rectore primo, & collegij Mariani fundatore. Boēmos Sigismundo Imperatori rebelles ad Brixiam superat, arcem Carolsteinam liberat obsidione. In concilio Constantiense nullius Principis equitatus fuit apparitor, adduxit autem equites septingentos: in quorum numero decem fuerunt Comites. Imperator Sigismundus tribus competitoribus reiectis, nomen dignitatemq; Electoris, cum summa virtutum ipsius testificatione, ei tribuit: titulo ipso honorat in Pannonia Presburgi, insignibus Budæ: quo absente magna Misnensium Turingorumq; strages ad Austiā Boēmiæ editur: quæ pugna commissa

Tyrcini-  
um salutare.

Inuidia su-  
peratur felici-  
tate.

misa xvii. Cal. Iulij, anno supra millesimum qua-  
dringentesimum sexto & vigesimo. Inuidiam ob-  
translatam à Saxonibus ad Misnenses summam in-  
ter Principes dignitatem, superauit virtute & felici-  
tate. Obiit Vuesenueſij, Non. Ianuarij, post pu-  
gnam memoratam, anno tertio. Sepelitur cum Ca-  
tharina coniuge, Henrici Ducis Brunsuigij filia,  
Aldenburgi, vrbe ditionis Osterlandiae primaria.

## F R I D E R I C V S   I I .   P L A C I D V S .

F R I D E R I C V S II. Placidus, coniunctam cum  
animi altitudine singularem habuit prudentiam,  
diu iactatus varijs domi forisq; casibus. Bellum  
gerit cum Francis, pro fratre Sigismundo præfule  
Vurceburgio. Vno anno tribus cladibus afficitur,  
à Boëmis miles eius à Nissa repellitur, vrbe Silesiæ :  
propè Taucham, fugatur in Osterlandia : ad Grim-  
mam, ceditur equitatus in Misnia. Ad quam ig-

Vltio de nominiam delendam in Boëmiam profectus, ho-  
stes vno prælio ad Satium, alterò ad Selnitium fun-  
dit, ducem eorum Sternbergium captum, Rochli-  
cianæ mandat custodiæ. In eadem Boëmia Al-  
berto Imp. militans, copias dissipat Polonicas, &  
regis Casimiri legatum Ptasconem ad fugam adi-  
git. Interea dum externis nauat operam, Henri-  
cus Comes Suarceburgius, oppida agrosq; Baronis  
Gerensis, qui principi in Boëmia militabat, depo-  
pulatur: quod Fridericus ægre ferens, Gerensem  
defendendo, Vilhelmum fratrem, & Fridericum  
Brandenburgum, partis aduersariæ studioſos, in se  
conci-

concitat. De diuidendis æqualiter prouincijs, cùm conuentus Numburgi & Citij frustra haberentur, demum Hali Saxonica negotium componitur, sed animi Principum valde exhulcerati manent. Paulò enim post Fridericus Elector Cambergum & Roslam Apollonij Vicethumi arces obsidet, quod primum belli civilis initium fuit. Mox idem bellum redintegrant, Petrus a vicio oris dictus Balbus, præsul Numburganus, & Ernestus Comes Blichenfis, qui defecerant à Vilhelmo. Ad extremam totis viribus itum est in Suarcebburgium, Vilhelmo coniunctissimum. Equitatus Friderici Brandenburgij, in Turingia cæditur. Ilmena oppidum ad siluam Seamanam obsidetur, inde tentatur Sigismundi Glichenfis ager: tum à præfectura Rueifensehense usq; ad Echardbergiam, ex utroq; agminis latere, incenduntur villæ, spoliantur agricolæ, abiguntur armamenta. Hæc in Turingia dum fierent, damnata maiora dabantur Misnensibus: inter Albim enim & Muldam incēdijs sæuebat miles Boëmicus: inter Tschopam & Muldam, Brandenburgius. In hoc tumultu cùm animi odijs intestinis, agri & vrbes flagrarent ignibus, Vilhelmus voce quadam Friderici ad se deplata, plena fidelitatis & benevolentiae, fratrem ipsum de pace, consiliarijs omnibus inscientibus, conuenit. Molhusiæ pacis fundamenta locantur, Numburgi confirmantur, præsentibus Friderico Landgrauio, & Alberto Brandenburgio. In Misnia aliquot seditiosi puniantur, Comes Leisnicius & Baro Donensis. In Turingia Echardus Tannius. Marchio etiam Brandenburgius, qui è belli Boëmici socio,

Omne ci  
vile bellum  
miserum.

Frates a-  
mici sunt.

Exilium  
multorum no-  
bilium.

Plagii fa-  
cilius.

is non  
nullum  
num pulm

Pietatis ex-  
emplum illu-  
stre.

socio, hostis acerrimus euaserat, penas cum suis pendit. Vicethumi, qui Coburgum tenebant in Francia, ire iussi in exilium, possessiones comparant in Boëmia, adimitur eisdem Lichteualdum in Misnia. Reducuntur ad officium in Turingia Numburgani, in Saxonia Halenses, & Princeps Anhaldinus. In Silesia mandato Imp. urbem Lignitiam defendit. Conradus Kaufungus plagiarius, qui duos Electoris filios, ex editissima arce Altenburgia, scalis admotis rapuerat, quod negata sibi esse stipendia diceret, in solis locis cum Alberto deprehensus, & adductus Fribergam, gladio percutitur: socij eius duo Ernestum ipsi reducunt, & veniam impetrant. Memorabile admodum est illud, quod scribitur, quod, cum Friderico antistiti Magdeburgio & Comitibus Beichlingij nato, bellum facturus esset, exploratorem miserit, qui de apparatu & consilijs eius cognosceret: is renunciabat, nihil bello opportunum parari, nec ullum conscribi militem: antistitem præterea dixisse, causam se commissurum Deo, qui pro se arma sit sumpturus. Quod ut Elector audiuit, Alius (inquit) infaniat, ut bellum inferat ei, qui confidit se Deum defensorum habiturum. Laudandus antistes, qui Dei patrocinio fisis est: laudandus Princeps, qui Deum veritus, arma depositus. Electoratum gesit annos sex & triginta. Moritur die profecto natalis Christi 1464. Vxor vidua vixit annos viginti. Conditur Misnae æneo monumento in facello, quod ipse sibi posterisq; fieri fecerat, cum vxore Margarita Austria, Friderici 111, Imperatoris sorore.

ERNE-

## ERNESTVS.

ERNESTVS Friderici II. filius, bonitate, fortunis, liberis, gratia florentissimus, Plauam Vodlandiae capit, Olsnicium & Adorfum occupat, Riesbergam & Doxam Boëmiæ expugnat. Quedelnburgum, Halim, Halberstadium, Erfurdiam luxuriantes tum licentia ciuitates, partim armis iustis, partim legibus seueris coerçet, ut Ernesto & Alberto filijs, altero antistite Magdeburgio, altero Moguntino, administrationem tranquilliores redideret. Apud Fridericum II. Imperatorem aunculum, summa in auctoritate fuit, & Maximilianus amitus, eum obseruavit. Matthiæ & Casimiri Vngariæ Poloniæq; regum exercitibus, magno quidem animo, sed sapientia maiore iuit obuiam: quos ambos quia à ceruicibus Germanorum (siquidem ultra fines iam transferant: & alter in agro Vratislauiano, alter in Opaliense castra locauerat) prudenter arcuit, splendidiore præconio dignus, quam si armis eieciisset. Hic Princeps Misnæ natus & conditus, obit 1486. v 11. Cal. Sept. ætatis xlv. Vxor eius Elisabetha Alberti II. Ducas Bauariæ filia, obiit, biennium ante maritum Lipsiæ, & ibidem in Paulino voluit sepeliri.

Princeps  
felix.

Hofes pro-  
puls sapien-  
tia.

FRIDERICVS III. SAPIENS  
DESIGNATVS REX ROMANORVM.

FRIDERICVS tertius cognomento sapiens, Torgæ natus: is paci studuit, & studia amauit, nec

C 2

histori-

Historicorum tantum, sed etiam Philosophorum libros legit, & Musicis vehementer delectatus est. More illorum temporum, maiorum aliquot exemplo, 1493. anno, Palæstinam adjicit: testamento relicto, ut studiosis decernerentur stipendia, si quid illi accidisset humanitus. Bello Bauarico Philip-pum Electorem Palatinum, qui pro filio Roperto bellum susceperebat, suum in Repub. collegam, Cæ-sari Maximiliano reconciliat: è bello Cameracen-se, aduersus Venetos gesto, domum reuocatur. Canonici Vuormacienses, qui annos propemodum decem exulauerant, ipsius & antistitis Treuirensis opera, restituuntur. Plebem Erfurianam contra senatum tumultuantem placat, & Vrielem antistitem Moguntinum, dissensiones alentem, ut sui eum instituti pœniteret, adigit. Academias Vitebergiæ, adiutore Ernesto fratre, antistite Magdeburgio, fuit fundator liberalis, quæ celebritate so-lenni in die Diui Lucæ Euangelistæ inchoatur, an-no supra millesimum quingentesimum secundo. Martinum Lutherum, cœlestem de salute animo-rum doctrinam ibidem renouantem, contra Pon-tificios sua auctoritate præclare defensit: Philip-pum Melanchthonem, ex Iohannis Reuchlini virti optimi sorore natum, Tubinga euocat; quorum vi-rorum summa diligentia & immensis laboribus, cùm vera & antiqua de Deo & salute hominum do-trina, tum philosophiæ, artium, & literarum om-nium elegantia, cum præcipuarum linguarum stu-dijs, maximo Dei beneficio sunt apud Saxones in-staurata & propagata, non modò per Germaniam,

Auctor cō-cordia.

Academias  
Vitebergiæ  
initium.

sed

sed per vicinos populos, & aliquot regna externa. Viuente Maximiliano gubernator imperij fuit, quod certo etiam numismate declaratur: post obitum verò ipsius, delatam ad se omnium Electorum summa voluntate dignitatem imperatoriam recusat accipere, Carolo autem Quinto, ad eam sua sententia profuit potissimum. Quanta tum eius fuerit integritas & innocentia, ex epistola quadam Erasmi Roterodami, quæ in manibus est, satis constat. Friderico 111. Maximiliano 1. Carolo v. Imperantibus, trigesies comitijs & conuentibus interfuit. Electoratum administravit iusticia & pietate annos octo & triginta. Vixit annos 72. Men. 3. Di. 9. Hor. 4. Obiit Lochauia die 5. Maij. 1525. morbo nephitride. Conditur primus Vitebergæ in templo arcis, coniugem non duxit.

## I O H A N N E S.

IoHANNES, Friderici frater, Ernesti filius: Friderico 111. Imp. in itinere Italico, adolescens comes fuit, vt scribit Crancius. Huic principi postea defensæ religionis amor, Constantis nomen tribuit. Auspicijs Imp. Maximiliani primum in Pannonia inferiore, deinde in Italia Transpadana militat. Initio eius gubernationis agrestium tumultus è diæcesi Fuldana, in Turingiam effunduntur, tanta celeritate & impetu, vt nisi mature principes arma sumpsissent, maximum fuisset ortum in Saxonia incendium: cui extinguendo vix Germaniæ vires suffecissent. Cùm autem ad Franchen-

Tumultus  
agrestium.

husiam essent vno prælio dissipati & vieti, Dux Elec-  
tor Vinariae, Ienæ, Isenaci, de auctoribus pœnas  
gladio sumit, & ciuitatibus arma adimit. Fuit  
princeps iste veritatis, pacis, sobrietatis, omnis ho-  
nestatis, & in primis puræ religionis cupidissimus.  
Principes  
pieniſſimus.  
 Vidi ipſe palimpseſtos, in quibus manu ſua ſacras  
conclones integras pœnè ad verbum excepereſat.  
 Quamobrem cum doctrinam cæleſtem recte intel-  
ligeret, & animo ardentissimo amplexaretur: co-  
ram imperatore Carolo v. & rege Ferdinandō,  
omnibusq; imperij ordinibus, multis etiam regum  
exterorum legatis, in comitijs Auguſtanis, anno  
ſupra millesimum quingentesimum trigesimo, ean-  
dem eximia veneratione, conſtantiq; ſententia  
profitetur, nec de rigore illo diuino (Zelum ſacræ  
litteræ appellant) villo terrore deiſci, aut periculo  
depelli potuit. Etsi autem ſanguinarij quidam præ-  
ſules atq; duces, Φόνια λουτρὸν, ut in Tragoedia dicun-  
tur, & ipſi ſic patria lingua nominabant, minitaren-  
tur Ecclesiæ, & in primis genti Saxonicæ: tamen  
Deus principi optimo affuit, ſuumq; professorem  
clementer, vsque ad extreſum vitæ halitum rexit,  
defendit, conſeruauit. Prima eius vxor Sophia  
Magni Mechelburgij ducis filia, Iohannis Friderici  
mater, quæ eo partu obiit: altera Margarita, fi-  
lia Vualdemari principis Anhaldini. Sophia obiit  
1503. die 12. Iulij, ſepulta Torgæ. Margarita  
1521. ſepulta Vitebergæ. Ipſe moritur Sueinitij  
Idib. Auguſti, 1532. conditus Vitebergæ.

I O H A N N E S F R I D E R I C V S.

I O H A N -

JOHANNES FRIDERICVS patris & patrui nomina, cum ipsorum virtutibus retulit, à tolerantia rerum aduersarum, dicendus Magnanimus: à corporis obesitate, dictus ab aduersarijs Crassus, à patre missus Coloniam electioni regis Ferdinandi contradicit, in quam tamen certis conditionibus postea Viennæ consensit. Controversiam inter ipsum & agnatum Mauricium, de Vurcina, præfusilis Misnensis oppido, Philippus Hassiæ Landgrauius componit. Henricum Brunswigium foederatorum auxilijs primùm è ditione ejicit, deinde eam repeatentem, cum principibus socijs adigit ad deditio-nem. Cum Carolo Imp. auxilijs foederatorum principum, & Germaniæ ciuitatum, bellum gerit: contra quem cùm in Bauaria & Suevia totam æstatem castra habuisset, brumæ ipsius tempore, in agnatum Mauricium tum imparatum arma conuertit. Oppida Turingiæ, Saxonie, Misniæ recipit, Lipsiam ita tormentis concutit, ut sit antea vix simile auditum: neque in oppugnatione Aronæ ad lacum Verbanum, in Insubria: neq; Pæsti in Pannonia, id obsidente Georgio monacho: quæ oppugnationes ante id tempus grauissimæ, hominum memoria fuerant. Ditione Mauricij potitur, vrbibus quatuor, Lipsia, Zuicca, Dresda, Pirna exceptis, quæ partim milite Germanico, partim externis Vngarorum & Boëmorum præsidijs defendebantur: earum tamen vrbium præter Pirnam, magna & populosa cremabantur à copijs Mauricianis suburbia. Albertum Marchionem Brandenburgum, & Christophorum Leuchteburgum, intercludere ipsum vo-

Bellum in  
ter agnatos  
principes.

Obsidio  
Lipsiae.

lentes, sed securos & incautos capit Rochlicij, antiqua Osterlandiæ vrbe. Initio veris, aduentu Cæfaris, & regis Ferdinandi, & principum sociorum, qui Egra, extrema regni Boëmici ciuitate, exercitus coniunxerant, inopinatò oppressus, cùm relicta vrbe Misna, & ponte post se incenso, Vitebergam contuleret: in itinere copijs suis disiectis, contra insequentes pugnans, in aduersum os, mala finistra vulneratur, & à Thilone Droto è diæcesi Mersburgia, ordinis equestris viro, non procul ab oppido Mulbergo capitur, cui in eius rei testimonium, annulum de manu detraæctum tradidit. Ominus sum sanè loci huius viris principib. nomen est. Ad Mulbergiū in Bauaria, ducem Austriæ Fridericum, cepit Ludouicus 1111. Imp. ad Mulbergum supra Nemetes, Bernardum marchionem Badensem Ropertus. Prodigia multa prælium antecedunt, in primis lumen solis sanguineum, per dies septem. Tomisernus tribunus eius, qui adhuc partem exercitus ducebat, audita clade, ex vrbibus montanis, quæ in Misnia ceperat, in Saxoniam pergit, Bremam liberat, & Ericum ducem Brunswigium, amissis tamen impedimentis, superat prope Tracheburgum, iuxta Meseram fluum. Iohannes Fridericus Cæfaris aulam, captus sequitur: qui exilium non alio animo tulit, ac secundam fortunam tulerat: nulla enim vox humili est ab ipso auditæ, nulla deiectionis animi facta significatio, qua fortunæ commutationem testaretur: à religionis certè sinceritate nec minis, nec gratia, nec promissis potuit auocari, cumq; mitigatione sententiarum edicto Imperatorio quæ-

Clades cap.  
ti principis.

Aequanimi  
tas in aduer-  
fis.

quæreretur, suam confessionem scripto edidit, & pietatis illustris exemplum, omni posteritati grauissimum reliquit. Dimissus post quintum exilij annum, summa gratulatione à suis accipitur, præsertim à coniuge atq; liberis, qui ipsum singulari semper pietate obseruantiaque fuerant prosecuti. Post Mauricium in acie interfectum, cum Augusto fratre ipsius, conuentu Numburgano, totius Reip. negotia componit, sublatisq; controuersijs multis atq; magnis, obit anno supra millesimum, quingen tesimum quarto & quinquagesimo, die 111 Mart. quo mensē ante annos octo de duobus principibus Rochlicij captis, triumphauerat. Sepelitur Vinariae cum vxore Sibylla Iuliacense, Iohannis ducis filia, cùm sibi ad latus vxoris loculum relinqui, paucis an tē diebus mandauisset. Arcem Torgæ amplam & magnificam condidit, & in eius templo tumbam sibi fecit, in quam impositus non fuit.

*Coniugum  
mors unius  
temporis.*

### M A V R I C I V S.

M A V R I C I V S Henrici filius, Alberti nepos, Friderici II. Electoris pronepos, bellicis studijs ardens, animo suscipiendi res arduas, & perficiendi constantia, nulli maiorum inferior. Primo eius principatus anno, cùm animi gratia è carmine Virgiliano fortes, à viris quibusdam eruditis in villa Luigana, quam Pisanus Cardinalis Venetus, in agrotum extruebat Patauno, colligerentur: memini ei primam & auspiciatissimam exijisse, quæ erat,

*Sortiū alt.  
qua certitu-  
do.*

*Curibus paruis & paupere terra*

*Missus in imperium magnum.*

Tyrcinia  
singularia.

Bello Vngarico , quod pro Buda & Pæsto recuperando suscipiebatur , documentum virtutis dat singulare, sed sibi poene exitiosum: bello Gallico, quod Imperator Carolus postremum cum rege Francisco I. gessit , ad Diuum Victorinum fortissimi Duci officium exequitur . Tumultum Saxonum, in quo Henricus Dux Brunswigius, cum Carolo filio aduersarijs se dedidit , suo dirimit arbitrio . Contra confoederatos Smalachalcidenses , cum bellum Imperator graue excitaret, partes sequi Cæsarianas, existimauit tutissimum , neque deceptus suo iudicio est : victo Iohanne Friderico , Saxoniæ Elector declaratur in castris ad Vitebergam , insignia accipit Augustæ Vindelicorum : quibus comitijs bellum etiam contra Magdeburgios illi committitur , qui urbem celebrem & fortissimam , hieme acerrima obsidere incipit . Initio eius obsidionis Verdensem exercitum , qui metuendus fuerat , sua prudentia dissipat , post mensem obsidionis quartum decimum , dat conditiones minimè renuendas . Compositis rebus Saxoniciis , pro liberatione socii sui , cum preces nihil valuerint , arma sumit , & in castra Vilhelmi Landgraij e conuentu Torgano profectus , Augustanis fese dendentibus parcit , Vlmensium agrum per socios diripit . In aditu Alpium Rheticarum , superatis captisq; Ereburgi montis angustijs , metum Carolo v. incutit , vt Oenipontem relinquaret . In conuentu Patauiense , arbitrio regis Ferdinandi , liberatus est ipsius fide & au-

Studiis af-  
serenda liber-  
tatis,

rum Rheticarum , superatis captisq; Ereburgi montis angustijs , metum Carolo v. incutit , vt Oenipontem relinquaret . In conuentu Patauiense , arbitrio regis Ferdinandi , liberatus est ipsius fide & au-

etoritate Philippus Landgrauius Hassiae, & Otho Henricus Palatinus restitutus. Data venia & im-  
punitas est alijs etiam tribunis & præfectis, qui contra Cæsarem militauerant. Copijs Solimani Tur-  
cæ in Vngaria occurrens, eas continet, & insulam Danubij munit. Anno igitur isto, qui fuit secun-  
dus & quinquagesimus, duobus potentissimis mo-  
narchis in Europa & Asia terrori fuit. Suscepto  
deinceps vicinorum patrocinio, Albertum Marchi-  
onem Brandenburgum, igne ferroq; sœuentem,  
adoritut, & cum eo in diæcesi Hildeshemia fortiter  
congressus, fuso fugatoq; eius exercitu, in præfe-  
ctura Peinense, captis hostium signis sexaginta  
octo, victoria insigni potitur. Ipse tamen bellici  
tormenti iictu, quem in latere dextero ad ilia acce-  
perat, tertio post die obiit, anno principatus sui  
duodecimo. In eadem pugna Carolus & Philip-  
pus Duces Brunsuigij, Henrici filij, & Fridericus  
Dux Luneburgius interierunt. Portentata tantæ  
calamitatis fuerunt multa. Canum rabies, qua ad  
mortem usque certarunt, fremitus in aëre, sanguineæ  
in herbarum folijs guttæ, hominū & equorum  
illo campo, in quo conflictus fuit, nocte intempesta  
auditi clamores, ciulatus item nocturni in oppidis.  
In arce Perlini de statua Mauricij, nulla vi adhibita,  
delapsum caput est: ipse quoque viro cuidam opti-  
mo, in domo flagrante, per quietem visus fuit. In-  
testina Siuershusiae condita, corpus è castris Fri-  
bergum delatum, in templo Mariano iuxta pa-  
trem conditum, monumento maxime insigni: in quo  
eius res gestæ, tabulis duodecim breuissimè prescri-  
ptæ

Pugna ca-  
lamitosa.

Portenta.

ptæ sunt. In ista armorum tractatione humanitatis studia non duxit negligenda. Academiam Vitebergiam conseruauit, Lipsiensem auxit redditibus & ædificijs: ludos tres prouinciales aperuit, Misnensem ad Albim, Portensem ad Salam, Grimana ad Muldam, in quibus pueri in pietate sincera, literisq; elegantioribus, & tribus linguis instituuntur. Arces aliquot ædificauit, vel dirutis antiquis nouas fecit, Mauricijburgum à se dictam, Radebergiam, Senftenbergiam, Chemnicensem, Tschopensem, & ornatissimam ac maximam omnium Dresdensem. Si & ætatem, & animum, & facta speces, dubibus summis & fortunatissimis, Mauricius non indigne comparatur.

## A V G V S T V S.

Avgvstvs, Henrici filius, Mauricij frater, in quo indoles, integritatis, grauitatis, reætitudinis, sapientiæ, maximiq; ingenij & singularium virtutum ab annis teneris enituit. In aula regia adolescens fuit Pragæ: patris sui, Principis optimi de se iudicia & vaticinia habuit magnifica. Militauit, Carolo v. in Gallia, cum ipse & frater castra haberent ad fanum Desiderij, victoriam assequerentur ad Diuum Victorinum. Castra item fratris secutus in Germania, fortitudinis & clementiæ eius socius fuit ac particeps. In comitijs Augustanis absenti data Electoris insignia sunt, quæ nomine ipsius Iohannes Hoierus comes Mansfeldius accipit. Cum abesset in Dania, fratre in armis defuncto,

vene-

veneratio nominis ipsius, & exercitum & populos  
in officio continuit: deinde ad pacem suis restitu-  
endam, cogitationes & animum totum conuertit.  
Cum Iohanne Friderico & eius filijs transfigit, &  
omnia ad pacem pertinentia procurat, foedus cum  
ijsdem hæreditarium, item cum Landgrauio Haf-  
siæ renouat. Eligendis Ferdinando ac Maximilia-  
no II. Imperatori, & Regi Daniae Friderico, affini  
suo coronando, præfens affuit. Bellum Gothan-  
um imperij nomine ipse gessit, & de factionis illi-  
us auctoribus sumpsit supplicium, & latrocinia, quæ  
locis multis inualuerant, seuere coercuit: Exem-  
pli Othonum Imperatorem iam ætate corroborata,  
linguam Latinam didicit, & quocunque eum  
aut animi aut ingenij impetus fert, id naturæ boni-  
tate, & assiduitate intentionis facilime consequi-  
tur. Deus omnipotens, ducem hunc pacificum,  
& hactenus felicitate ingenti vsum, ad sui nominis  
gloriam conseruet, ut eo gubernante, populi ipsius  
salui & incolumes sint,

*Qualiaq; Augusto sub Cæsare secla fuere,  
Augusto perstent talia secla duce,  
vt vetus nostrum votum repetamus.*

GEOR-



GEOR. FABRICII

CHEMNICENSIS

ILLVSTRIVM

Marchionum Misnensium.

L I B E R I.

T H I M O

PRIMVS MARCHIO MISNEN-

SIS, COMES LANSBERGI ET

V V E T I N I .

**T**Himo Vuitechindi generoso stemmate natus,  
Magnanimis claro nomine dignus aus.  
Non se degenerem monstrauit Regibus ipsis,  
A quorum genus hic nobile gente trahit.  
Vlciscens sibi facta feris opprobria telis,  
Longe à natali cogitur ire lare.

Vt Tydeus olim patrys procul egit ab oris,  
Inq; peregrina tollitur exul humo:  
Sic quoq; castra sequens victoria Cesaris iste,  
Virtutis merita præmia digna tulit.

Misnia quā flavo florens coniungitur Albi,  
Quāq; Soraborum terra vetusta iacet.

Accipiens latam ditionis fertilis oram,  
Promeruit titulos auctus honore nouos.

Non tamen ille dia parto gaufus honore,  
Oppedit, & saeo pressus ab hoste cadit.

Ex acie patriam Niemeci vectus in arcem,

Henricus  
III. Imper-  
rator.

Niemeci  
oppidum.  
Vtba

*Vt ha tibi tumulo est iunctus, ut ante thoro.*

## CONRADVS PIVS MARCHIO

MISNIAE ET LVSATIAE, COMES  
ROCHLITII, ET ILEBVRGI.

*Conradus tenuit patrios Illustris honores,  
Qui fortis multis pectore notus erat.*

Kirchber. *Hunc patruelis atrox Kirchbergi carcere clausit,*  
gum arx. *Quod matrem dicto laeserat ille suam.*

*Flagravit magno vera pietatis amore,  
Armagꝫ pro sancta religione tulit,  
Nosceret cum cœpit primum Pomerania Christum,  
Vandalagꝫ ad nostram turba coacta fidem.*

Lotharius *Tempore quo populis Lotharius intulit illis,*  
Sax. Imp. *Cunctagꝫ victri ci contudit arma manu.*

Vipertus *Liquerat Henricus dux vite lumina Groce,*  
Osterlandus *Filius ille tuus magne Viperte fuit.*  
comes.

*Eius Conradus ditionem suscipit, urbe  
Ad Moganum, præsens quando ibi Cæsar erat.  
Addit Rochliciam coniuncta quoque Cæsaris arcem,  
Quæ coniuncta illi sanguine Richſa fuit.  
Extulit ergo soli fines spaciūqꝫ feraces,  
A Niſſalentam diues ad usque Salam.*

Conradus *Trans etiam alta venit, Conradi castra secutus,*  
II. Impera- *Aequora, Dux Syrijs Marte timendus agris.*  
tor.

*Bellica cum celſam quaterent tormenta Damſcum,  
Tunc eius virtus maxima penè fuit.  
Inde adiit Solymas etiam cum Cæsare terras,  
Pertulit & dubia longa pericla via,  
Armagꝫ Sarmaticas idem cum ferret in oras,*

*Amiffas*

Amissas genero quo repararet opes : Vladislaus  
 Conradi stabilem firmat prudentia pacem, dux Poloniz.  
 Mitigat & magni damna propinquam mali.  
 Hic sex eximios natos, totidemq; puellas  
 Leuthardæ thalamis pignora clara tulit,  
 Distribuensq; illis forti bona parta labore,  
 Claustra pius subiit religiosa senex.  
 Septimus Hermanus, qui præsul in urbe Paberga,  
 Filius, è patrijs nil tulit ille bonis.  
 Ipse sepulchra tenet montis præcelsa Serenæ,  
 Hic ubi sunt fontes Saxonis Halatui.

Lauterber-  
gum cœnobi-  
um.

## O T H O D I V E S M A R C H I O M I S-

N I A B E T L V S A T I A E.

SAXONICAS iuuenis circumtulit arma per oras  
 Aeneobarbe tua pars Otho militie.  
 Restitit Henricho, cui vasta Superbia nomen,  
 Mox eadem luctus exiliumq; dedit.  
 Post emtas propter Turingi principis urbes,  
 Ipse sibi proprio comparat ære malum.  
 Insidijs captus, Kuartbergaq; arce retentus,  
 Auxilio liber Casaris inde redit.  
 Arma capit spreta propter connubia nata,  
 Se socians hosti dure Boëme tuo.  
 Terror finitimiis populis Odoacer, es ausè  
 Supra fortunam multa subire tuam.  
 Hinc Otho composita ciuilia commoda pace  
 Curat, & amissas sarcit & auget opes.  
 Argenti reperit Sudeto in monte metella,  
 Nunc ubi Fribergum nomina clara tenet.

Fridericus  
Barbarossa  
Imp.  
Henricus  
dux Bauariæ  
& Saxoniæ.

Premis-  
laus Boëmiae.

Fribergum.

Lipia. *Lipsiacam firmis circumdat mænibus urbem,  
Collocat & multis arduit castra locis.*

Dibinum oppidum. *Impius hunc seruat Dibenio in carcere natus,*  
*Filiī bel-*

*lū contra par-* *Ast Otho crudeli factō, sua membra dolore  
trem.*

Cella ve-  
tus cœnobiti-  
um. *Cella tenet corpus, siluosa ad flumina Mulde,  
Hedwigis lateri proxima iuncta viri.*

## A L B E R T V S I. S V P E R B V S

M A R C H I O M I S N I A E E T L Y S A T I A E.

*P*ratulit Alberto Ditericum mater, in isto

*Quod plus ingenua & simplicitatis erat:*

*Hedwigis nato daret ut sua regna minori,*

*Fæminæ mouit calliditate virum.*

*Vt iuuenis tumidas iniuria vénit ad aures,*

*Consilium, præceps ira, salubre rapit.*

*Collocat insidias, spreta pietate, parenti,*

*Inijicit & capto vincula dura seni.*

*Vtq[ue] patrem natus cepit, sic carcere clauso*

*Est patruo, custos additus ipse nepos.*

*At tandem metuens Albertus Cæsar is iras,*

*Dimittit placita conditione patrem.*

*Ante tamen capti thesauros diripit omnes,*

*Et varia abstrusas arte recludit opes.*

*Armis Cæsareum iuuat auxiliaribus hostem,*

*Qui tenuit regni sceptrā Boëme tui.*

*Vt fratri eriperet, quæ pauca reliquerat ante*

*Circundat muros Leucopetra tuos.*

Voeissen-  
uelsa opp.  
Fratris bel-  
lum co. tra  
fratrem.

*Nec cum Turingo concurrere Principe solus*

*Abnegat*

Vladislaus

R. Boëmio.

Voeissen-

uelsa opp.

Fratris bel-

lum co. tra

fratrem.

*Abnegat, & liti ponere morte modum:*  
*Sed ne conferrent aequato Marte duellum,*  
*Flexit amicorum fidus vtrunque fauor.*  
*Instruit hinc patrias externo milite vires,*  
*Et renegat forti pristina bella manu.*  
*Exutus totis Hermano à Principe castris,*  
*Committit trepidæ saucia terga fuga.*  
*Tum prius inuisam cupiens acquirere pacem,*  
*Trans Alpes subitum carpere caput iter,*  
*Insubres Cæsar cum ferret signa per vrbes,*  
*Teutonomico frenans Itala colla iugo.*  
*Spem veniam postquam sibi comperit esse negatam,*  
*Quæq; patri tulerat, nunc quoque vinclata timet:*  
*Clam fugit è castris, uno comitatus amico,*  
*Tectus & ad patrios peruenit inde lares.*  
*Nulla tamen mentem frangunt aduersa ferocem,*  
*Seq; putat cunctis hostibus esse parem,*  
*Quodq; nequit supplex, ardet virtute parare,*  
*Agrediturq; suo robore maius opus.*  
*Exceljis aliquot communis turribus vrbes,*  
*Cæsarea audax nil metuendo minas.*  
*Interea duri vexatur tornime morbi,*  
*Nec patitur tangi putrida membra dolor.*  
*Stramineo positus parua sub culmine villa,*  
*Indignans misera mortis adiuit iter.*  
*Ter dena coniunx sequitur quem luce Sophia,*  
*Amborumq; Vetus Cella sepulchra tenet.*

Heiners-  
dorfum pro-  
pe Fribergū.

## D I T E R I C V S M A R C H I O

MISNIAE ET LVSATIAE, COMES

VVEISENVELSII.

*M*ultorum insidias passus Ditericus iniquas,  
Terra quod argenti patria dives erat.

Henricus Nauigio rediit Syriis ut vectus ab oris,  
VI. Imperator. Fugit Cesareos abditus utre dolos.  
Nempe quod auri esset non iustus Caesar amator,

Richardus Id docuit damnis capte Britane tuis.  
R. Angliae. Extero tutus fuerat Ditericus ab hoste,  
Gratia sed minimè fratris amica fuit.

A quo Misnia caput pulsus violenter ab ora,  
Vix scopulos tenuit Leucopetrae tuos.

Hermanus Collectis generum Turingus vindicat armis,  
L. Turingie. Bis pellens ab eo castra inimica loco,  
Rhenano validas adducit milite turmas,  
Frater in exitium iam Diterice tuum.

Quas socii tacito solertia dissipat actu,  
Vertit & in subitam nescia terga fugam.  
Tum primùm Alberti vires cecidere Superbi,  
Quem talit heu tetra mors violenta lue.

Philippus Viribus Imperij mox sunt grauiore tumultu,  
& Otho Im- Bella repentina mota furore Ducum.  
peratores. Nec potuit generum Ditericus iure tueri,  
Armis qui sociam Cesaris addit opem:  
Tunc quando inuadit Turingica rura Philippus,

Vueisen- Circa Albus ponens regia castra lacum.  
seha urbs. -Othoganis Nocte fugam timido furtim rapiente Boemo,  
R. Boemie. Ad partes princeps Cesaris ipse redit.  
Lipsia defendens, post facta rebellis, Othonem,

Quae nimis hostiles improba fouit opes.  
Saxonicas Ditericus Aquas obsedit ad Albim,  
Diruit & Lopenae mœnia capta solo.  
Lipsiacos etiam vertit fundamine muros,

*S*ANCTA TIC  
*C*OGIT,

Cogit & imperij iura subire sui.  
 Quod Friderice tenes Romani nomina Regis,  
   Magna eius meriti pars Ditericus erat.  
 Anissam Pegae Siffrido reddidit urbem,  
   Sed facti iusti premia nulla tulit.  
 Tollitur hæc tetro virtus generosa veneno,  
   Illi quod Medici perfida dextra dedit.  
 Communem in Cella tumulum cum coniuge Iutta,  
   Matura nondum morte peremptus, habet.

Fridericus  
II. Impera-  
tor.

HENRICVS I. MVNIFICVS,  
 LANDGRAVIS TVRINGIAE, COMES PA-  
 LATINVS SAXONIAE, MARCHIO  
 MISNIAE ET LVSATIAE.

Misici meritis tulit hic Henricus honorem,  
 Malleus atque alio nomine dictus erat,  
 Quem puerum rexit Ludouicus auunculus, atque  
   Pro patre defuncto munera patris obit.  
 Hic tamen arma mouens Saracenis, occubat urbe  
   Hydrunto, Adriaci quam ferit undamaris.  
 Filius at sumpto, Berchte molimine, philtro,  
   Infelix iustum concidit ante diem.  
 Henricus Sueuam frater percussus ad Vlmam,  
   Cum vita regnum desert ipse datum.  
 Principibus spoliata pijs Turingia mœret,  
   Amisis dubitat sitne habitura pares.  
 Exoritur miserum civili sanguine bellum,  
   Facto vix annis tollitur illa nouem.  
 Adiuat Henrici Deus & victoria causam,  
   Turingasq; parit Misnus acer opes.

Ludouicus  
III. L. Tu-  
ringie.

Hermanus  
L.

Henricus  
L. Turingie  
Imperator.

Henricus Saxonas expellit, consanguineumq; Brabantum,  
 D. Brabantiq; puer. *Huic tamen Hessiacum linquit habere solum.*  
 Albertus Ipse tuum Brunswiga Ducem prope cepit Elistrum,  
 D. Brunswi-  
gius. *Suerini Comites, Ascaniag; duces.*  
 Henricus terris hinc austus, & inde metallis,  
     *Clarus erat belli, clarus honore toga.*  
 Non cum fortuna deerat sapientia Crast,  
     *Et populis animus ferre benignus opem.*  
 Ut platanus quondam celebris fuit aurea Xerxis,  
     *Regales cuius texerat umbra dapes:*  
 Non minus audita est Henrici argentea quercus,  
     *Quam Northusa equiti ponit in urbe suo.*  
 Peruenit ad canam tranquilla pace senectam,  
     *Multorum lachrymis nec sine, raptus obit.*  
 Cum tribus hic natis, totidemq; uxoribus, urnam  
     *Concordem, ad tumulum patris auig; tenet.*

**A L B E R T V S II. D E G E N E R,**  
**L A N D G R A V I V S T V R I N G I A E , M A R C H I O**  
**M I S N I A E , D O M I N V S T E R R A E**  
**P L E I S E N S I S .**

Avstriaca Albertum peperit constantia patri,  
     *Quam satus hac vellem non foret iste domo.*  
 " Educat ast herbas interdum terra nocentes,  
     *Triticeos lolium sepe molestat agros.*  
 " Ipse suos fratres iniustis expulit armis,  
     *Quorum facta viris annumeranda bonis.*  
 Ditericus Horum alter nomen Sapientis, at Exulis alter,  
 Sapiens. *Morum ac fortuna signa notamq; tulit.*  
 Henricus Cæsaream thalamis pepulit, virtute puellam  
 Exul.

Illustrum

Illustrem ; cui dos Pleisena terra fuit.  
Pellicis infames illi præponit amores,

Margari-  
tha Friderici  
II. Impera-  
toris filia.

Ter pater è cuius corpore factus erat.  
Nec minus in proprios eius dementia natos

Patri bel-  
lum in filios.

Saxiūt, & potuit que mala ferre , tulit.  
Misnensem regi ditionem vendit Adolpho,

Apicius  
Cunegundis  
Isenbergiae  
filius.

Tollere captum optat te Friderice nece.  
At non legitimè prognatum , sperat Apici,

Turingo dominum te dare posse solo.

Verū nobilitas hunc libera ferre recusat,

Nec probat insani facta nefanda patris.

Hinc Ostrolandis irati Casaris arma

Infert , ne natis spes foret vlla super.

Sed prius in rebus Fridericus cognitus arctis,

Fridericus  
a gena ad-  
morsa di-  
ctus.

Bella parat , populis promptus adesse suis.

Ille bonus captum dimittens antè parentem,

Acceptit nullas pro pietate vices.

Pòst iterum socrus Alheidis , itemq; nouerce

Indicio , Albertum depulit arce sua,

Exiliumq; patri viridem prope dicit Hieram,

Erfurdia  
vrbs.

Vrbs ubi præcelsum sustulit ampla caput.

Albertus patitur , dederat quæ damna propinquis,

Et duram toleret , vix habet vnde , famem.

Hospitium & tumulum dedit illi Erfurdia : nam non

Maiorum ad cineres additus iste cinis.

Illiū ad Mœnum Francorum conditū vxor

Francofur-  
tum vrbs.

Margaris , exilio nobilitata suo.

F R I D E R I C V S I. F O R T I S ,  
L A N D G R A V I U S T V R I N G I A E , P A L A T I N V S  
S A X O N I A E , M A R C H I O M I S N I A E E T  
O S T R O L A N D I A E .

*Misniacæ genti suus es Friderice Camillus,*

*Libertas armis reddita pulchra tuis.*

*In cunis placido seruaris numine, cùm te*

*Deserit admorsa mater amica gena.*

*Nec minus infensi fugisti vincula patris,*

*Ascaniaq; ducum, Cæsareosq; dolos.*

*Non meditata tuo capiti noctuere venena,*

*Impiaq; à collo sica repulsa tuo.*

*Scilicet ut patria iuuenis daret iste salutem,*

*Proprijs sensit tot benefacta Dei.*

*Quem patruus primo format Ditericus ab ævo,*

*Militie monstrans & graue Martis opus.*

*Venceslaus rex Boëmiae.*

*Affini iubet Henricus quem ferre Boëmo*

*Contra Sarmatici spicula regis opem.*

*Inde Nariscorum feliciter occupat arcem,*

*Plauensi reddens iura vetusta Vodo.*

*Immanem inuitus contra capit arma parentem,*

*Lansberga captum quem super arce tenet.*

*Reddere Tanbergum qui cùm promitteret (illud*

*Spurius abstulerat) carcere liber abit.*

*Adolphus rex Romano rum.*

*Misnia Romano tum vendebatur Adolpbo,*

*Terra metallifero nobilitata solo.*

*Pœnè subacta fuit crudeli tota Sueuo,*

*Qui fuit in castris miles Adolphe tuis.*

*Turinga Brubergus erat pellendus ab ora,*

*Annis vexarat quatuor omne solum.*

*Obsidio Friberti difficultas.*

*Nec non in Misnia Fribergum, signa bis octo*

*Menses, ad muros seu volare videt.*

*Sexaginta homines de nobilitate trucidat*

*Cesar, id ut captum proditione fuit.*

*Liberet ut reliquos, tunc oppida proxima Mulde*

*Tradit, & è patria Marchio cedit humo.  
Occidit interea fato misrandus Adolphus:*

Exilium  
Principis.

*Nomen ab amissō fers Friderice solo.  
Accipit imperij partas Albertus habenas,*

Albertus  
Austriacus  
rex Roma-  
norum.

*Ac reparat valida tristia bella manu.  
Curagj Milmobeo mandatur maxima rerum,*

*Qui noua Turingis signa mouebat agris.  
Dum flagrant magni dub:o certamine motus,*

*Vuariberga natus cepit in arce patrem.  
Milmobeus castris exutus pellitur hostis,*

*Vinclaqj iam gestat, qua tulit arma, manu.  
Protinus ad Luccę paruam concurritur urbem,*

Luca op-  
pidem Oster-  
landiz.

*Sanguineis flauus manat Elister aquis.  
Hoc illo nobis libertas reddit a campo,*

*Misnensi Sueuus latro necatur humo.  
Hinc spolijs victor redijt Fridericus opimis,*

Philippus  
comes Nassau-  
ensis.

*Dum fratrem Cesar sternit Adolphe tuum.  
Iste ferebatur Dicemani causa perempti,*

*Infelix Aras qui cadit ante sacras.  
Differtur terras Friderici fama per omnes,*

*Notus & externis cœperat esse plagis.  
Illum olim petijt cum forti Insuber Hetrusco,*

Mediola-  
nenses & Flo-  
rentini.

*Magnanimo cupiens credere bella viro.  
Francus adhuc sauit Turingos miles in agros,*

*Alberti preerat stirps inhonestapatis.  
Tum que Cesarea Aquilas est turba secuta,*

*Cogiturn imperij iura subire noui.  
Ilsis vrbs supplex post cunctas ultima venit,*

Isenacum  
vrbs.

*At fortē colit hinc officiosa ducem.  
Amittis Zuenca Friderice ad mænia natum,*

*Quem talit ex alto missa sagitta loco.*

D s

Hinc

**C**hemnici *Hinc capis, extruxit quam rex Lotharius urbem,*  
um vrbis.

**A**ldebur- *Quæcumq; suum veteri nomen ab arce tenet.*  
gum vrbis. *Mox sentit populosas tuas Erfurda vires,*

*Quæ pulsata acie terq; quaterq; tua.*

» *Nulla diu rebus constat fortuna secundis,*

» *Iunctaq; habet dulcis semper amara lepor.*

**H**ana op- *Lusatia populis dum vult succurrere præcepis,*  
pidum. *Ad ripam capitur Redera rubra tuam.*

*Estrreferenda viris Pleiensis maxima terræ*

*Gratia: turba suo fidâ reperta duci est.*

*Quorum opera liber, captos intercipit hostes,*

*Consulit & thalamis Elisabetha tuis,*

*Vualdemariq; illo dimittit honore nepotem,*

*Arbiter ut posthac pacis utrinque foret.*

*Burchardum bello quem Magdeburga fugarat,*

*Restituit populi pontificisq; malo.*

**A**ntistes *Hic aufertur enim nodosa verbere clausa,*  
Magdeburgi-  
us a ciuiibus *Plebs sentit diras Roma seuera tuas.*

*Expellit tota porrò regione latrones,*

*Creuerat illorum bella per ipsa furor.*

*Hostibus ipse suis terror, sed cura suorum,*

*Ac patriæ fido notus amore parens.*

**I**n templo *Linquit humum, morbi consumptus tabe triennis,*  
diuæ Catha-  
rine. *Isidis & tumulum possidet urbe suum.*

*Seruat eum iuxta coniunx & nata sepulchrum:*

*Cara magis nullo corpore iuncta loco.*

## F R I D E R I C V S I I . G R A V I S ,

D E S I G N A T V S R E X R O M A N O R V M , L A N D -

G R A V I V S T V R I N . M A R C H . M I S N I A E ,

C O M E S O R L A M V N D A E ,

TV Grauis es propter mores Friderice vocate,  
 Rursus ab exili corpore, dicte Macer.  
 Prouida quem tenerum rexit prudentia matris,  
 Imperio quoniam non satis aptus erat.  
 Henricus Nigri ut montis comes occidit armis,  
 Plauenjis Misnam pace tuetur humum.  
 Inde Trifurdenses quoque Vuanghemius hostes,  
 Arct Turingo non sine clade solo.  
 Prima Grauis flauo iunxit socia arma Britano,  
 Cui bene Rex merito nomen equestre dedit.  
 Ardua cum patriæ cœpit moderamina terræ,  
 Seruasset pacis tempus in omne bonum :  
 Sed non passa fuit violento Erfuria facto,  
 Commouit damnis que noua bella suis.  
 Vénit ut hostis, abit factus Fridericus amicis,  
 Restituitq; urbis pænè ruentis opes.  
 Reddita cum felix illo victoria campo,  
 Quo miserae dederant saucia terga fugæ.  
 Conseruat socios, proprios ulciscitur hostes,  
 Afferit & læsum seditione decus.  
 Guntherum Nigri cognomina montis habentem  
 Cepit, & est sedes passus habere patris.  
 Cum prece Vinario tendenti supplice dextram,  
 Eripit id tantum quod lauat Orla solum,  
 Quijs tenet montis de nomine nomen acuti,  
 Arcem aliqua retinet conditione suam.  
 Viribus audacter nimium Stolbergius usus,  
 Perdidit vltori casus ab ense caput.  
 Ignibus heu miserae perierunt mænia Salze,  
 Mille homines letho flamma inimica dedit.  
 Culpa Moguntino fuit hac in milite, clausit

Eduardus  
VI. R. An-  
glia.

Comites  
Turingie  
Principi re  
belles.

Obsessas

*Obsessas querulis ciuibus ipse fores.*  
*Euertit validis latronum viribus arces,*  
*Vnster & ad ripas, Salag<sub>z</sub> lentatas.*  
*Pectore Cesareos excelsō sprenuit honores,*  
*Quos fauor, & virtus cognita sape dedit.*  
 Mathildis  
Ludou. III.  
Imperatoris  
filia.

*Augustae thalamis auctus tamen ille puellæ,*  
*Quæ de Boiorum stemmate nata fuit.*  
*Magnanimos linquens natos, in flore iuuenta,*  
*Bis quater emensus lustra caduca, perit.*  
*Haud positus procul est Mathilde à coniuge Cella,*  
*Cui tumulum ante suam fecerat ipse necem.*

**F R I D E R I C V S   I I I .   S T R E N V V S ,**  
**L A N D G R A V I U S   T V R I N G I A E ,   M A R C H I O**  
**M I S N I A E ,   D O M I N V S   F R A N C I A E**  
**M O N T A N A E .**

*S*trenuus d<sup>r</sup> factis Fridericus nomine dictus,  
*Imperium solus bis duo lustra gerit,*  
*Externis fratrum dum virtus anxia bellis,*  
*Miiorum querit laudetenerē decus.*  
 Vodlandi  
victi.

*Ipse domi Russum Plauensem bella mouentem,*  
*De patrijs victum cedere cogit agris.*  
*Hermundurorum veteres subiere Narisci,*  
*Vixerat illa diu libera turba, iugum.*  
*Cattorum superat fisum virtute Tribocum,*  
*Fulda tuas celebrat qui sacra propter aquas,*  
*Hermannumq<sub>z</sub> animis Brichlinum vana tumentem,*  
*Efficit offcij mox meminisse sui.*

Albertus  
dux Brunsui-  
gius.

*Saxoniam magnis ingressus viribus, arces*  
*Brunsuigi ferro vastat & igne Duciō.*

obſd.t

Obsidet Embecce dum mania , fulmine miri  
 Tormenti retulit territus inde pedem.  
 Tunc visa est nostris , imitatrix fulminis , oris  
 Machina in humanum dira reperta genus .  
Bombar-  
dx.  
 Albertus damnis motus precibusq; suorum ,  
 Obsidibus firmat fœdera facta datis .  
 Sed violata fides incommoda cuncta nouauit ,  
 Iurag; laesa alia sunt stabilita fide .  
 Cingitur infestis posthac Erfurdia signis ,  
Schisma  
inter antisti-  
tes Mogun-  
tinos.  
 Quæ studuit rebus præsul Adolphe tuis ,  
 Audax quæq; datum Fridericum ferre recusat ,  
 Impediens bello se furiosa sacro .  
 Quatuor ingenti est obessa sub agmine menses ,  
 Igne videns agros , igne micare domos .  
 Carolus adueniens in castra hostilia Cæsar ,  
Carolus  
III. Imper-  
ator.  
 Arma iubet ciues ponere , & arma duces .  
 Auget opes partas Fridericus , comparat agros  
 Dum Sangerhusi pinguia rura soli .  
 Accipit à socii montanum morte Coburgum :  
Francia  
montana.  
 Francica Misnensi subdita terra duci .  
 Lustra nouem felix , & tres exegerat annos ,  
 Magnanimum cum mors sustulit atra virum .  
 Conditur in Cella postremus : iuncta fidelis  
 Vnanimi coniunx est Catharina viro .

V I L H E L M V S I . C O C L E S ,  
 LAND GRAVIVS T VRINGIAE , PALATINVS  
 SAXONIAE , MARCHIO M ISNIAE .

Hannibal est celebris , nec non Sertorius armis ,  
 Hic quamvis oculo captus , & ille fuit .

Nec

Nec nocuit forti facies fœdata Vilhelmo,  
 Cui celso inuictum pectore robur erat.  
 Germanis iuuit propellere finibus hostem,  
 Cum ferus Alsatiam perderet Anglus humum.  
 Insubrum magnam cum Cæsare pergit ad urbem,  
 Virtute egregijs ne minor esset avis.  
 Ipse vicem reddens, inopinis undiq; flammis  
 Est Erfordanum depopulatus agrum.  
 Vrbs ea Misniacis immiserat urbibus hostes,  
 Furtivo curans tecta cremanda modo.

Iodocus D.  
 Morauie.

Affuit & socero, cui rex iniusta Boëmus,  
 Fortune infensus Principis, arma tulit,  
 Sagaq; ut induitur pro libertate Moraui,  
 Munitam cingens obsidione Pragam:  
 Sic fuit illa statim deponere sumpta paratus,  
 Ut Regis subiit pectora pacis amor.  
 Inde domi instis moderatus legibus urbes,  
 Cum vulgi auxit opes utilitate suas,  
 Extenditq; modis fines ditionis honestis,  
 Contulit & patrio commoda mille solo.  
 Misnia Phœbeos urbs quâ respectat ad ortus,  
 Tecta eius seruat frigidus ossa lapis,  
 Elizabetha sui lateri est coniuncta mariti:  
 Illorum caruit prolis honore thoros.

V I L H E L M V S I I . D I V E S  
 L A N D G R A V I V S T V R I N G I A E , P A L A T I N V S  
 S A X O N I A E , M A R C H I O M I S N I A E .

Marchio-  
 natus Bran-  
 deburgius.

*M*archia quæ veteris refert cognomina Brenni,  
 Cuius adit vitreis rura Viadrus aquis,  
 Valde-

Valdemaro dominis amissō paruit illis,  
 Quos dedit haud una sors variata vice.  
 Primum Boius habet Princeps, Rex deinde Boēmus,  
 Tum Marcomano venditū illa duci.  
 Hinc ad Misnensem precio delata Vilhelmum,  
 Aequa viris solitū ponere iura suis.  
 Illius inquietam furiosa Boēmia dextram,  
 Non uno sensit Marte fugata loco.  
 Nam cum fratre Pragam Friderico cinxerat armis,  
 Quam versurus erat, si licuisset, humo.  
 Nam Sigmundus eos insit decedere Cesar,  
 Pro cuius bellum mouit uteisque bono.  
 Brixia quam non segnis eras, & Thabora nouit,  
 Regia quoque sita est tuta Corona, Lapis.  
 Frater ut Enfieri tuus est Ducis auctus honore,  
 Saxonie capiens Cæsare dante solum.  
 Sponte Viadrea, fuerat quæ vendita, terra,  
 Ne status imperij diminuatur, abis.  
 Fædus & ipse nouas iterum cum Principe Catto,  
 Quod patruus paulò fecerat antè tuus :  
 Cum pro communi sociarunt arma salute,  
 Et Stellatorum vi pepulere manum.  
 Magnus erat bello, sed maior pace Vilhelmus,  
 Anteferens Marti dulce quietis opus.  
 Misnia quam felix illo sub Principe tellus,  
 Hostis enim vedit nullius arma sui.  
 Pleisensi, fato functus, tumulatur in urbe,  
 Ipse carens natis, fratri bona parta relinquit,  
 Qui cum egit placidos & sine lite dies.

Sigismundus Imperator.

Sanctio hereditaria inter Turingos & Hessos.

Aldeburgum.

Vilhel-

VILHELMVS III. DVX SAXO-  
NIAE, LAND GRAVIVS TVRINGIAE,  
MARCHIO MISNIAE.

*CAEsareis virtus castris perspecta Vilhelmi,  
Extulit illius non sine laude decus.  
Externos ipsum iuuit tolerare labores,  
Ferret ut in patriam commoda tanta suam.*

*Factio Huf-  
fistica vastat  
Misniam.*

*Restitit insano non fracta mente Boëmo,  
Vastanti ripas Albis vtring tuas.  
Passa fuit nunquam maiorem Misnia cladem,  
Quam tunc turba furens cædeq; & igne dedit.  
Adiuuat iratos quorundam perfidus ardor  
Nobilium, coluit quos fera turba duces.*

*Austia vrbs Boemæ.*

*Grimma vrbs Misnæ.*

*Austia si posse, vel tu Grimma edere vocem,  
Nota omni populo nomina feda forent.  
Vbius indomitum præsul cum Marte Sicambrum  
Hostem, de Susi pellere vellet humo:  
Noriciæ suis cum trudere finibus urbis  
Albertus valida Francicus arma manu:  
Adiungens forti socias cum milite vires,  
Duxit adoratam turpe negare fidem.*

*Bellum ci-  
vile inter fra-  
tres.*

*Quis tibi tam miti bellum furiale Vilhelme  
Suaserat, in fratrem cum ruis ense tuum?  
Quos vix expuleras prius è regione Boëmos,  
Turba ferox signis militat illa tuis.  
Agmina iam campis stabant discordia fratrum:  
Non passus peragi est hoc Deus ipse nefas.  
Miles ait fida Friderico voce: quid horres?  
Intorto hoc frater, si cupis, are cadet.  
Non cadat, iste refert: fratris mibi parce saluti,*

*Exposita*

*Exposita est telis cetera turba tuis.  
 Peruenit ut fratri vox haec in castra Vihelmi,  
 Consilij caput paenituisse sui.  
 Colloquium poscens, germani ut pendet in vlnis,  
 Blanditijs, preces addit, amicus abit.  
 Non lux fausta magis fuit his regionibus villa,  
 Propitio miseric ciuibus orta Deo.  
 Firma fuit posthac charorum gratia fratrum,  
 Gratia consilijs non violata malis.  
 Dotem Silesias Augustae coniugis urbes,  
 Post mortem Alberti Cesaris, ense petit.  
 Urbe tenet tumulum cum fratre Vilhelmus eadem,  
 Ac prope dilectum conditur Anna virum.*

ALBERTVS III. ANIMOSVS,  
 DVX SAXONIAE, LANDGRAVIUS TURIN-  
 GIAE, MARCHIO MISNIAE, GYBER-  
 NATOR PHRYSIAE.

*Nomen ab inuicta cepit virtute Rolandi  
 Albertus, quod ei castra dedere seni.  
 Bis sex annorum puer, alta raptus ab arce est,  
 Pleisena fæcundus quâ fluit inter agros.  
 Ipse Palæstinas adolescens iuit ad oras:  
 Visere religio tunc loca multa fuit.  
 Cimborum neptim Regi deduxit, & inde  
 Lubecis gratus ciuibus hospes erat.  
 Illius admonitu legem sanxere pudicam,  
 Atque maritali consulere thoro.  
 Mox legit in celebrem quoque Cæsar auunculus aulam,  
 Primus ubi iuuenum strenuitate fuit.*

Aldebur-  
gum.

ee  
 Iohannes  
 rex Danie.

Fridericus  
 III. Impera-  
 tor.

E Pannonium

*Pannonium equauit virtute & pectore Regem,  
Hannibali Fabius cui reputatus erat.*

*Matthias  
R. Vngariae.* *Germanis capta minitatus vincula Vienna,  
Captum Matthias hoc Duce liquit opus.  
Signa annos ter sex victoria mouit in hostes,  
Pro populis pugnans Maxmiliane tuis.*

*Bella Bel-  
gica.* *Quas Dux Menapius terras subduxerat armis,  
Rursus ei fausta victor ademit aue.  
Littoreos forti cum Flandro cogit Holandos,  
Teg, subire suum flane Brabante iugum.  
Inde tua externas accessit gloria gentes,  
Dexteraq; Imperij dictus es esse manus.*

*Georgius  
R. Boemie.* *Optavit votis viduata Boemia Regem  
Hunc sibi, post mortem Pogiebrade tuam.  
,, Maluit ast alij intactam seruare coronam,  
,, Tradita quam cupida sumere sceptr'a manu.  
Illiis auspicijs primum caput extulit altum,  
Vrbs in Sudeto diues & ampla solo.  
In pede Peliaci qua nunc iacet inclita montis,  
Fossus ubi argenti messe nitescit ager.*

*Anneber-  
gum vrbis con-  
dita.* *De qua magnificam Misna quoque condidit arcem,  
Quae de colle tuas prospicit Albis aquas.*

*Phrygia  
subacta.* *Pramia post bell'i casus, vitaq; pericla,  
Dat regimen Phrysi Caesar habere soli.  
Quod sibi dum sumptis bellator vindicat armis,  
Conatu medium concidit inter opus.*

*Sepulchra  
Misna.* *Infesta Phrygiam Lachesi sublatu's ad Embdam,  
In patriam, ut debet, non reddit inde suam.  
Spectat in occasum qua parte urbs Misnia solis,  
Coniuge cum Zedena contumulatur humo.  
Quem pater ante locum Fridericus legerat, atque*

*Cesaris*

*Cesaris Austriaci, mater amica, soror.*

GEORGIVS BARBATVS  
DVX SAXONIAE, LANDGRAVIUS TURIN.  
MARCHIO MISNIAE.

DEdita bellorum studijs tibi prima Georgi  
Aetas, audacem cum sequerere patrem.  
Fert socio Phryssas Burgundo signa per urbes,  
Præmia pro patrio iusta labore petens.  
Saxonicis eadem reparat robustior armis  
Bella, nec auspicijs non gerit illa bonis.  
Groningos implet flammis hostilibus agros,  
Euertit captum seu per arma Thamum.  
Non animus præsens, non defuit ardua virtus,  
Sed cæptis magnis sors inimica fuit.  
Omnibus ad pacis conuersus viribus artes,  
Deposit duri flebile Martis opus.  
Aurea restituit Saturni secula, nulla  
Nec tormentorum cura, nec ensis erat.  
Donec in arma feros Alecto mouit agrestes,  
Plurima qui furijs damna dedere suis.  
Hos, prope Francorum dictam de nomine sedem,  
Stravit: sanguineas Vipparis egit aquas.  
Persoluit meritas itidem Molhusia pœnas,  
Et vetus amittis ius Smalachalci tuum.  
Massiliam peteret cum Cesar Carolus urbem,  
Misit ei lecta nobilitate manum,  
Thraciaḡ adiunxit propellere finibus arma  
Austriacis, Turca depopulante solum.  
Iura domi populis, & leges condidit aquas,

Bellum ru  
sticum.

Francohu  
sia vrbs.

Molhusia.  
Smalachal  
cis.

Carolus  
V. Impera  
tor.

*Ac placida rexit pace quietus humum.  
 Egerat ille sui satis qui tempora felix,  
 Si spectes cunctas, quas habet orbis, opes.  
 Hoc miser heu nimium, quod paucis perdidit annis,  
 Omnem spem stirpis progeniemq; sua.  
 Tum super ipse dies non multos vixit, & acris,  
 Creditur extincto causa fuisse, dolor.  
 Misere nisi princeps hic ultimus urbe sepultus,  
 Conditus ad patris est natus uterq; latus.  
 Casimirus  
rex Poloniae,  
Barbara Sarmatici Casimiris filia Regis,  
 Iuncta prius thalamo, iungitur & tumulo.*

**H E N R I C V S II. P I V S, D V X**  
**S A X O N I A E , L A N D G R A V I V S T V R I N G I A E ,**  
**M A R C H I O M I S N I A E .**

*Peregrina  
tio Palestina  
& Hispani-  
ca.*  
*A Patrijs Syrias terris acceſſit ad oras,  
 Hospeſ & Hesperium venit ad usque frustum.  
 Scilicet ut sanctis Henricus ponere terris,  
 Pro veteri posset relligione pedem.  
 Multa ſolo poterat memorare pericula, duro  
 Sapientia acta ſibi tempore, multa mari.  
 Euafit Phrygium patria virtute furorem,  
 Cum Franice rupto fædere, captus erat.  
 Nec fecus ac patiens illa omnia vicit Ulyſſes,  
 Ausu magnanimo, confilioq; bono.  
 Redditus ac patriæ diuino numine terra,  
 Saxa tenet montis Neritos alta tui.  
 Tum Fribergensi ſedem ſibi collocat arce,  
 Tranquilliusq; date munera fortis amat.  
 Hoc condi caput Marianus principe collis,*  
*Marieber-  
gum vrbs con-  
dita.*

Lauta

*Lauta metalliferis urbs celebrata iugis.  
Debita defuncto nactus moderamina fratre,*

*Henricus patriæ factus amore parens :  
Eximum vera meruit pietatis honorem,*

*Quod sancta instaurat relligionis opus,  
Hospitiumq; pijs aperit doctoribus, atque*

*Excipit excelsi dona benigna Dei.  
Heroës inter magnos, animasq; beatas*

*Aetherei fulgens sideris instar erit :  
Quando sua in sanctis ornabit munera Christus,*

*Premia pro meritis digna cuiq; ferens.  
Tempore commissas non longo rexit habendas,*

*Iam factus multa debilitate senex.  
Fribergum sedes fuerat gratissima viui,*

*Nunc quoque defuncti corporis illa domus.  
Quem prope sex teneri, sublati morte nepotes*

*Pro propera, tumulis nomen inane tenent.  
Hic Mausolei stat mole erecta, nitensq;*

*Marmore, Mauricij splendida tumba Ducis.  
Salve sancte senex, cœlestibus addite templis,*

*Præsenti cernens lumine, Diue Deum.*

ICH  
HENRICHUS  
auctor & de-  
fensor religi-  
onis renova-  
tæ.

Sepulchra  
Fribergi.

E 3 GEOR-



63

# GEOR. FABRICII CHEMNICENSIS

Annalium vrbis Misnæ

L I B R I III.

GEORG. FABRICIVS  
CHEMNICENSIS  
CONSVLIBVS ET SENATVI  
MISNENSI VIRIS PRUDENTISS.

S. P. D.

VIATOR fessus locum editiorem descendens,  
interdum respicit, interdum oblata occasione,  
aut urgente necessitate etiam resistit, ut post aliquantulū quietis iter suum perficiat celerius: idem  
mihi accidit in rerum Saxoniarum inuestigatione  
versanti, quæq; sunt ad illud argumentum necessaria  
colligenti: vt quædam ad hanc vrbem, vndē  
Principum origo vetus est, attinentia annotarim,  
quasi respirans ab illa narratione continua, quæ  
multum diligentiae & laboris requirit, cum ipse a la-  
bore aut molestia nunquam esse possim vacuus. V-  
tile sine dubio est, scire rerum humanarum variam  
& mutabilem conditionem, non solū in imperijs  
& regnis, sed in singulis etiam vrbibus, quæ bona  
ipsis, quæue aduersa contigerint: certum enim est,  
in regno Ecclesiæ casum & fortunam nihil esse, nec

E 4

corum

eorum nomina pijs nota sunt, cum magna paruaq;, firma & infirma , priuata etiam non minus quam publica, à Deo ipso regantur: nec vlli loco , temporis, aut homini ad custodiam & ad diurnitatem desit Dei præsentis , & respicientis prouidentia. Hanc etsi ignorant homines prophani, & reprehendant quidam, vt pulcherrimis Horatij verbis vtar, insipientis sapientiae consulti : tamen ratio loquitur in Sophocle , ἐσὶ μέγας ἐν ἔργῳ ζεῦς, ὁ εὐρηκεν ποτεύα. Diuinæ prouidentiæ testis est, Senatores, ciuitas vestra , Henrici primi, optimi Imperatoris vrbs , quæ in suis initijs, ac primo veluti ortu est Vngaricis, Polonicis, Boëmicis bellis vexata : quæ in progressionibus & incremento oppugnata , capta, cremata, vedit ciuium cædes , & principum exilia: quæ sæpe terræmotus, sæpius inundatiōes, inediām, & (vt veterum Theologorum verbo, nostro vero loquar idiomate) mortalitatē sensit: Dei tamen manu & bénignitate , seruata continenter est, & iam hoc ipso tempore , lætatur potentia & felicitate suorum principum, & gubernatione tranquilla ac salutari. Omitto commoda illa , quæ ante oculos sunt, cceli temperiem , salubritatem aëris, agri vbertatem , copiam vinorum, vallium amœnitatem, & ipsum flumen nauigabile : quæ in situ & solo ipso munera Dei sunt, cultuq; & diligentia hominum indies sunt fructuosa. nam quid leges, quid ingenia, quid studia, quid sacra ipsa commemorem? quæ propria quodammodo loci huius sunt, & si antehac vñquam, nostro nunc seculo maxime vigent. Hæc animo prudenter reputans, quis neget esse

esse splendida & celebria? vt sunt certe viris bonis  
 & gratis hominibus: nam prophanis illis, de quibus  
 modò dicebam, nullum Dei donum, nullum cœ-  
 lorum beneficium satis amplum est, aut habetur gra-  
 tiarum actione dignum. Maiorum vestrorum in-  
 stitutum sapiens est, qui vrbis ante annos plus quin-  
 gentos, à Polonis oppugnatae, ad auorum usque  
 ætatem retinuerunt solennem memoriam, quod  
 aliqui vestrum meminerunt, & nos decet recordari  
 ac repetere, quoties ab huius vrbis templis ac tectis,  
 quoties à ciuium capite & ceruicibus, iniuria & ca-  
 lamitas sit repulsa, in bellis, in penuria, in incen-  
 dijs, in peste, in alijs periculis: propugnante vide-  
 licet eo, qui dat salutem populo & regibus. Igitur  
 quæcunq; sunt, quæ literis aut monumentis, quæcunq;  
 nostris aliorumq; scriptis cognoui, aut è parietinis  
 ipse erui, in hos libellos opera singulari ac studio  
 contuli: & adhibui alia, quæ viderentur habere ali-  
 quid ornamenti, & vt vberiores fierent, epitaphia  
 Ducum, virorum memorabilium, amicorum etiam  
 multorum inferui: non quidem ostentatione, sed  
 grato animo atque officio. Hos libros vestrorum  
 Annalium, amoris mei erga hanc ciuitatem testes,  
 ad vos Senatores prudentissimi mitto, quos & men-  
 tibus benignis legere, & contra vestros inuidos,  
 atque malevolos tueri debetis: si & amatis me, &  
 vestram urbem dignam laude, ipsi iudicatis. Va-  
 lete feliciter, iii. Cal. Octob. A nato Christo fer-  
 uatore, anno M. D. L X I X. ab urbe vestra condita  
 anno D C X X X I X.

AD ANNALES VRBIS  
MISENÆ EDITOS A  
Georgio Fabricio,  
ANDREAS ELLINGERVS  
MEDICVS.

**A**nnales Fabricij polita charta  
Lucem cernite aui bona, & placete  
Misena populoq; patribusq;  
Vrbis, qui genuitq; vos parenti  
Vestro dicite, dudum ut inchoatum  
Augustæ historiae laboret orsum,  
Qua res Saxonicas ab inde magno  
Sighardo repetit, bonisq; ab usque  
Regibus Vitichindo Othonibusq;.  
Non nescimus enim, quot ille lustris,  
Quot voluentibus immoretur annis  
Huic felici opera, incitate queso  
Cunct antem, ut monumenta qua pedestri  
Iam perfecta stilo premit: labores  
Maturos nimium, satisq; cultos  
Diæ luminis afferat sub auras,  
Aspirante fauore Principali.  
Nam qua deficimur vel hunc in usque  
Diem Teutones elegante rerum  
Gestarum historia atque copiosa,  
Vnius labor & beata nobis  
Hanc industria comparare posse:  
Admiranda nepotibus relinquens  
Arguta monumenta scriptio-

At

At vos interea euolate , dulces  
 Magni progenies patris libelli ,  
 O pura nitidi toga libelli ,  
 Illustri patriamq; claritate  
 Seclis acta prioribus docete ,  
 Annales Fabricij erudit a charta .

## MARTINVS SALBACHIVS.

Fabricio , Suadæ qui iure medulla vocatur ,  
 Hactenus hæc varijs sunt celebrata modis :  
 Numen homo , genij sancti , clariq; triumphi ,  
 Fortia facta patrum , vera feraxq; fides .  
 Imbuta est ab eo pietatis amore inuentus ,  
 Ut toto spiret pectore & ore Deum .  
 Fabricius thalamos ornauit , carmine planxit  
 Lugubri , tumulis ossa relata suis .  
 Iam rude dignus erat , sed enim consistere mentem  
 Non sinit , aetherea qui venit arce , vigor .  
 Ergo antiquam urbem , trahit à qua Misnia nomen ,  
 Aeterna dignum posteritate , canit :  
 Saxoniam fata Ducum , & pia facta canente ,  
 Omnia Fabricio sunt data , fama feret .

AVCTO-

A V C T O R V M E T C H R O  
N I C O R V M N O M I N A , E Q V I B V S  
A N N A L E S I S T I S V N T E X C R E P T I .

Æneas Silvius.

Albertus Crancius.

Auctor de vita Henrici IIII.

Bilibaldus Pircheimerus.

Caspar Bruschius.

Calpar Hedio.

Calpar Peucerus.

Conradus Celtes.

Constantinus Phrygio.

C H R O N I C O N

Chemnicense

Erfurdianum

Geriswaldense

Goteffecense

Isenacense

Magdeburgium

Mersburgium

Misnense

Neustatense

Oschacense

Peganum

Pirnense

Quedelnburgium

Salzense

Sangerhusianum

Saxonicum

Veterocellense

Vinariense

Conradus Vrsbergenfis.

Conradus Presbyter Lauterbergius.

Cosmas Decanus Pragenfis.

Diplomata & literæ.

Ditericus Engelhufius.

Ditmarus præful Mersburgius.

Erasmus Stella.

Ernestus

Ernestus Brodufius.  
 Exequiarum liber.  
 Georgius Agricola.  
 Georgius Siffridus.  
 Georgius Spalatinus.  
 Henningus Hildesheimius.  
 Hieronymus Emserus.  
 Iohannes Carion.  
 Iohannes Cuspinianus.  
 Iohannes Dubrauius Olomucensis.  
 Iohannes Nauderus.  
 Iohannes Riuinus filius.  
 Iohannes Stumpfius.  
 Lambertus Schafnaburgius.  
 Lilius Gyraldus.  
 Matthaeus Sarctorius.

### MONUMENTA SEPVLCHRORVM

Cellensia  
 Fribergia  
 Lauterbergiana  
 Misnensia  
 Suselicia  
 Vinariensia.  
 Petrus Appianus.  
 Philippus Melanchthon.  
 Plinius.  
 Rythmi antiqui.  
 Siffridus Presbyter Misnensis.  
 Siebertus Gemblacensis.  
 Strabo.  
 Supplementum Schafnaburgij:  
 Syriodalia statuta Misnensia.  
 Tacitus.  
 Valentinus Muncerus.  
 Viperti Groizensis vita.  
 Vuetislariensis.  
 Vuitichindus Corbeiensis.  
 Wolfgangus Crusius.  
 Wolfgangus Lazius.

GEOR-



# GEOR. FABRICII CHEMNICENSIS

## Annalium vrbis Misnæ

### L I B E R   I.

VRES MISNA CONDITA IN EA REGI-  
one, quæ dicta olim est Dalemincia, ut appareat è li-  
teris Iohan. xiiii. Pont. appellata à Boëmis Sirbia, ut  
scribit Cosmas Pragensis: à Sclavis Lomacia, ut legi-  
tur in Ditmari præfulis Mersburgij Chronico. Antiquis-  
fimis nominibus terra Senonum & Soraborum, quam  
Suevi olim habitarunt. Romæ ante ædem Mineruæ, Ni-  
colaus Schonbergius Cardinalis, natus scribitur è Suevis  
Misnensibus, in lapide tumuli. Has terras ad Albim ant-  
iquitus coluisse Hermunduros, Sueorum portionem,  
testatur Strabo libro septimo, in cuius libris non rectè le-  
gitur Eumunduri, è Plinio & Tacito constat. Sed & Dalemin-  
ciorum nomen depravatum est, quos Dalmaticos no-  
minat Vuitichindus Corbeiensis, nomine verò magis alieno  
Dalmatas Gemblacensis & Vrsbergius: eosq; secuti  
Crancius, Cuspinianus, Phrygio. In vrbis huius vici-  
nia à Ditmaro duo fluvij commemorantur, Misna & Ia-  
na, qui nomina vetera adhuc retinent: nomen etiam re-  
tinet vallis quædam, sed literis transpositis, Mincidala, &  
pagus ei adiacens, & supereft oppidum Lomacium. Con-  
radus Pircheimerus & Petrus Appianus viri Clarissimi,  
Lupfurandum dici in tabulis Ptolemai Misnam opinantur,  
coniectura fortasse non planè nulla aut infirma, quasi di-  
cas, traiectus Lupsi: hoc vero nomen proprium est, non  
Lupum,

Lupum , vt afferit Brodusius , significat . Fuisse Traiectus circa has angustias , testimonio sunt loca suburbana , qui superior & inferior Traiectus appellantur . Quinetiam è ripa aduersa duobus inde milliaribus , nobilis pagus est , Cotschenbroda , qui à traiectu similiter denominatur , id enim Broda lingua Vandorum designat . Ab Oriente hæc vrbs alluitur à fluvio Albi , qui à numero , vt Boëmi dicunt , fontium vndeциm : vt Saxones , tot amnum influentium , dictus putatur , à meridie torrentem habet Trebisam , ab occasu , montes : versus septentriones , riuum Misnam , de quo ipsa vrbs appellationem , secundum Ditmarum , vt ab vrbe tota regio , creditur accepisse : nec obstat claritati paruitas , tales enim in agro Veiente Cremeram , in Fesulano Munitionem , historicorum & poëtarum literis nobilitatos , ipse vidi . Fontes Albis sic se habent . Oritur sub monte à Gigantibus dicto , der Ri-senbergs . Riuulorum seu fontium nomina sunt . In initio Krumseissen , quæ duo stagna sunt , sed tum cum primus adiungitur fluviolus , dicitur Albis magnus . Secundus fons Grossseissen , tertius Wosam , quartus Granitz , quintus Hyperberseissen , qui duo inter se diuisi . Sextus Haubritz , inde arcem Gendorfiam præterlabitur in loco edito sitam , infra oppidum subiectum parvus Albis miscetur magno : parvus autem dictus , non procul à maioris paludibus oritur , montibus interiectis . Initium septimi fontis dicitur der Hemmerlein , octauus anseris nomine appellatur , nonus A qua nouæ , decimus der Heidelbach , vndeclimus das Kalschwasser . Tot fontes & fluvioli gignunt Albim paruum , qui se deinceps in maiorem exonerat . In Albim affluunt ex ripa meridionali hi fluuij Egra , Billa , Gotleba , Muglicium , Katzbachium , Albula , Trebis , Aqua nigra , Milda , Sala , Hauelus . E ripa altera Penica , Chemicum , Kirsbachium , Sebenitium , Vesentium , Brisnicium , Elister niger , Hagela , Fossa Lubevensis . Situs vrbis

vrbis Misnæ cum montibus adiacentibus, vrbi Romæ, conferri quodammodo potest. Mons Capitolinus sit, in quo nunc ludus illustris, & templum Afranum. Palatinus, in quo arx principis & basilica: & ex eius regione Auentinus, in cuius aditu templum Diui Martini. Redeundo ad arcem Principis, vineta in montibus oppositis, Cœlij, Esquilini, Viminalis, Quirinalis, circuitus referant. Ulta fluuiū mons Zeila, dictus der Steinberg: in quo Diui Georgij fanum, sit Vaticanus, & campus qui ei adiacet à latere, Ianiculensis. Extat ænigma vulgi apud nos, quænam illa vrbs sit, quæ tribus cingatur fluminibus, tresq; habeat in uno monte arces, in cuius fossa iaceat pagus, & in qua pons sit templo altior: cùm de Misna videlicet interrogant. Misnam ab ortu tangit Albis, à meridie Trebisa, à Septentrione Misna. Tres in uno monte arces sunt, Principis, præsulis, & Burggrauij. Pagus Misna, ante vrbis introitum, in loco declivi est, & pons versus arcem lapideus, per quem montes duo iunguntur, templi Iacobæ tecto & turre extat altior. Annales nostri conditorum vrbis Misnæ fuisse Henricum 1. Imp. memoriam prodiderunt, anno Christi supra noningentesimum trigesimo, imperij ipsius undecimo, qui propter situs opportunitatem, præsidium militum Riparensum hoc in loco contra Vngaros, qui tum plurimas Germanie inferebant calamitates, constituit. Talia præsidia ab alijs postea Imp. contra Lusatios, Milcienos, Boëmos, & Polonos sunt extracta in montibus vicinis. Mons, in quo arx sita, tanquam fossis munitus est: idem cum monte Afrano ponte lapideo ingenti, supra vallem interiectam constructo, coniungitur: vt olim Capitolinum & Palatinum ponte marmoreo iunxit Caligula. Vrbs ipsa partim in valle, partim ad colles, quibus cingitur, sita est, duoq; montes Palatinus ac Martinianus, anconem & sinum efficiunt. Est itaq; vrbis Misna, fluminis nauigabilis commoditate, collum

circumfusorum frequentia , hortorum amoenitate , aëris temperati salubritate , cultoribus opportuna. Ager frumento , colles vino fertiles sunt , fortasse etiam metallis : id quod Scharffenbergi venæ argentariae & plumbariae , vno inde milliaro versus ortum sitæ , testantur : alia itidem meridiem versus , non longius distantes prioribus , in Dibesgrunda , Mincidala , & ad villam Mocritiam , qua à triginta annis derelictæ iacuerunt , hoc tempore cœperunt recoli , auspicio viri ornatissimi Valerij Craconis Illustriss. Electoris Secretarij. Charadra ad occasum quæ erant , diligentia hominum , pleræc sunt in agros , hortos , aut in vineta mutatae. In colle orientali , quem Palatinum sæpius iam nominauimus , extructæ duæ arces nouæ , altera Principis ampla & ornata , quam condidit Albertus Dux Saxoniae : altera præfulis , quæ à Iohanne v. inchoata , necdum perfecta est. Inter has interiacet Basilica cathedralis , operis vetusti , cuius occasum versus adiunctum facillum , in quo Ducum Saxoniorum sepulchra sunt & monumenta. De arce & templo ita Conradus Celtes ,

*Hic ubi Misnenfis celeberrima Regia surgit ,*

*Arcem & que templum continet alta sacrum.*

Tertia arx Burggrauij , vna ruina est , de qua extat turris rotunda Pyramidalis , vetustum propugnaculum. Ante templum olim stetit turris , dicta rubea : prope quam iudicia exercebantur : eius nunc vestigia etiam sublata sunt. In colle occidentali cenobium Afranum , à Reinero præfule fundatum : in quo ludus illustris ante annos septem & viginti aperiebatur Ducis Mauricij amplissimo beneficio. Habuit & alia duo cenobia , puellarum , quod in Vuasserburogo situm , extra moenia translatum est : & Franciscanum , in quo erectus iam ludus Senatorius. Pons super Albim ligneus , tali arte factus , vt eius iuga sint extremis tantum partibus pilis imposita , per medium sine sublicijs librata pendeant , artifice lignorum compagine : cuius in  
vniuer-

vniuersa Germania non esse similis perhibetur ligneus.

De hac vrbe, tale scripsit Epigramma, vir omni laude clarissimus Philippus Melanchthon, cum primùm huc accessisset hospes,

*Χαῖρε πόλισ, μυστῶν γενναίον κῆρυκα, ὃν ὅχθαις*

*ἀλεύδοι, οὐ θένους τένομα μένη ἔχεις,*

*ἔκλεσθο οὐδ' ἀργετὰς μάνταις ἀδεσπι ταλαιοῖ,*

*οἱ τινες ἡρώων ἐργα λέγοσι καλά.*

*ΧιΘόνῳ ἀνήρ ἔθνοι μυστὶς ἀπέφην δίκαιον:*

*καλλίην δ' ἀργετῶν εἰς δίκαιοσων.*

*μαρτυρέσθε καὶ ἐμπέρετες τολέμοιο γενέας,*

*ὅν δὲ δίκαιοσων καρτερία, ἀγαθόν,*

*καὶ δὲ βροτῶν Φύσις ἔσθ' οὐκινθεῖτε σαθρήτε,*

*τοέρμαθ' οὐκινθεῖτε τέτο γένοι κατέχετε.*

*καὶ τάδε πέρι. οὐκ ἔξιζεν ταυδέματα μυστῶν,*

*καὶ περὶ ἀψύδη σίδε θεῖ διδαχήν.*

*Ἄρεσθ' γν λαὸν μυστῶν εὐχάριστα ταῖτες,*

*οἵ μάλα ταὐδαίς θέα σέμνη ἀγαπᾶ.*

*καὶ δὲ φιλοξενίους ἀσκῆσθ', ημᾶς ἔνιδεξον,*

*οἶνον καὶ λιαρὸν τέμπε τάχισα φίλοις.*

ANNO A NATO CHRISTO  
SERVATORI,

D C C C L X X X V I I .

Imperante Carolo III. anno eius octauo, Suende-  
poldus Dux Moraviae, Albis ripam infestat, & his terris  
damna infert: inter cuius facinora illud memoratur, quod  
arboribus ne frugiferis quidem pepercere.

Vastatio.

D C C C X C I .

F 2

Imperan-

Præsul inter sacra occidit. Imperante Arnolpho Arnus præsul Vurceburiensis ad Albinum bello Danico interficitur, ut annales Francici: bello Boëmico, ut Ditmarus præsul Mersburgius, qui videtur rectiora scribere. In castris eum hostili agmine circumuentum, & dum rem diuinam ficeret, oppressum, omnes consentiunt. Eius mortem vindicantes Germani, prælio contra hostes sunt superiores, quod commissum 3. Cal. Iul.

Fames. Imperantè Conrado I. ita has terras depopularunt Vngari, ut incolæ domibus & agris relictis, cum liberis fugerent, & populis vicinis ad famem tolerandam pro annonâ seruirent, auctor Vuitechindus Corbeiensis.

## D C C C C X X V I I I.

Dalemintii. Daleminciij, qui terras has habitarunt, cum Vngaris sentire, & eis dare transitum coacti sunt. Dalemicios populos, ait Ditmarus inter Albinum & Chemnicium fluvios habitasse.

Fons prodigiosus. In hac regione fons fuit nomine Glomaci, non longius ab Albi, quam duobus milliaribus positus, qui de se paludem efficiens, mira, ut incolæ pro vero asserunt, oculisq; approbatum est a multis, operatur. Cum bona pax est indigenis, latos vicinorum confluentium, crebro efficit animos: quando autem saeui belli tempestas ingruuit, eam sanguine & cinere, certum futuri exitij indicium, præmonstrat. Hunc incola sanctius, quam Ecclesiæ, spe quamuis dubia, veneratur & timet. Hæc Ditmari pœnè verbis recitata sunt. Tale aliquid de fonte Vngarico, apud ruptum Traiani pontem, qui sanctæ Crucis vulgo dicitur, scribit Cuspinianus in oratione, De bello aduersus Turcam: is crux fluit, cum rex aliquis moritur, vel periculum subire cogitur.

## D C C C C X X X.

De vrbe

De vrbe Misna ab Henrico I. Imp. fundata his rursus  
verbis idem scribit Ditmarus:

Hic montem iuxta Albim positum, & arborum den-  
sitate tunc occupatum, excoluit, ibiꝝ vrbem statuens,  
eidem de ruo quodam, qui in parte septentrionali fluit,  
nomen Misna imposuit, quam, vt hodie in vſu habetur, <sup>Misna ri-</sup>  
præsidijs & alijs impositionibus muniuit: & ex ea Milcie-  
nos suꝝ subactos ditioni, censem persoluere coëgit. Hæc  
ille. Ante paucos annos inter Grimam & Lausigam, pago  
Bardo minore, nummi argentei reperti sub terra sunt, qui  
effigiem Henrici, manu dextera auem tenentis, repræsen-  
tarunt.

## D C C C L V I I .

Dicata Ecclesia Misnensis, proximo die dominico, <sup>Basilica</sup>  
ante diui Martini festum, iubente Othonে I. Imp. qui pa- <sup>Misnensis.</sup>  
tris testamento eam perfecit. Hic Othо I. Princeps felici-  
simus & Ecclesiarum patronus nominatur à Ditmaro:  
qui populis externis deuictis præter Ecclesiam Misnensem,  
fundauit etiam Magdeburgiam ad Albim, Brandenburgiam  
ad Huelum, Mersburgiam ad Salam, Citiensem  
ad Elistrum, quas partim bonis suis, partim gentium de-  
uictarum agris fundisq; constituit atque ditauit. Inter  
has Misnensis dicta Ingenua, quòd videlicet libera sit, & <sup>Ingenua</sup>  
nulli antistiti aut metropolitano: sed vni Pont. Romano <sup>Ecclesia Mis-</sup>  
subiecta. Foundationem Othonis x i i i. Pontifex confir-  
mavit, anno suꝝ sessionis tertio, & post viatos ab Othonе  
Imperatore, in Lyci campo Vngaros, itidem tertio, sub-  
scripserunt præsules vnde quadraginta. Præfuit ei primo  
loco Burchardus, Othoni Imperatori à sacris, qui au-  
toritate Hildeberti antistitis Moguntini, è cœnobio Ra-  
tisbonense curator missus, nomine ac titulo pastoris, an-  
nos circiter viginti eam rexit. Exemplum confirmationis  
pontificiaꝝ, sic habet ab initio.

Iohannes Episcopus, seruus seruorum Dei. Si semper sunt concedenda, quæ pijs desiderijs congruunt: quanto potissimum ea, quæ diuini cultus prærogatiua noscuntur, non sunt omnino abneganda: quæ sunt a largitoribus non solum poscenda, sed vi charitatis procul dubio exigenda. Habita igitur Synodo, & multorum venerabilium fratrum coëpiscoporumq; nostrorum conuentu Romæ, in Ecclesia beati Petri principis Apostolorum, assidentibus augustissimis Imperatorib. Othonibus vtrisque, anno scilicet imperij maioris sexto, minoris primo, ijdem gloriofissimi Imperatores postularunt à nobis, quatenus monasterium, quod pro remedio animatum suarum primitus construi, & in honorem beati Iohannis Euangelistæ consecrari fecerunt, super ripam fluminis, cui nomen est Albea, in ciuitate Misna sita, videlicet in prouincia, quæ dicitur Dalemincia, cui etiam monasterio virum venerabilem, nomine Burchardum honorifice præfecerunt, priuilegijs sedis Apostolicæ decorati, ut sub iurisdictione sanctæ Ecclesiæ nostræ, cui auctoritate Dei præfidemus, constitutum, nullius alterius Ecclesiæ ditionibus submittatur. Pro qua re pijs desiderijs fauentes, hac nostra auctoritate, id quod exposcit, effectui mancipamus: interponentes tamen ea, quæ & ipsi principes, in nostris priuilegijs cupiunt exponi, & cunctis in Christo fidelibus manifesta fieri, more antiquorum Imperatorum. Hi duo Imperatores pater & filius nobis assidentes, Misnensi Episcopatui terminum imposuerunt, nominando etiam determinationes locorum, sicut infra continetur. Vbi caput & fons est a quæ, quæ dicitur Odera, inde quasi recta via usque ad caput Albeæ. Inde deorsum ad occidentalem partem, vbi diuisio duarum regionum est, Behem & Nisen: Ibidem ultra Albeam, & per siluam in occidentalem partem usq; ad caput Milda, & sic deorsum per ambas plagas eiusdem fluminis, usque dum Milda intrat in Albeam, & sic sursum

Terminus  
Ecclesiæ Mis-  
nensis.

sursum ultra prouinciam Nisici , ad ipsum terminum : nec non in altera parte Luzyci & Selpoli , & sic usque ad ciuitatem Sulpize , illam videlicet infra eundem sursum usque ad caput eius . Homines vero , quemadmodum hi praesentes Imperatores statuisse fatentur , qui infra terminum istum habitant , in omni fertilitate terrae , frugum & pecudum , in argento , & vestimento : nec non quod Teutonici dicunt , Ouarcapunca & calunga familiarum . Insuper tota utilitate , & in omnibus rebus , quibus mortales utuntur in diuersis modis decimationes , quas Deo cuncta gubernanti debent , ad Misnensem Ecclesiam , primum Deo , deinde sancto Iohanni Euangelistae universa dubietate procul remota , persoluant , referant , & reddant . Et ideo in Christo sanximus , firmiterque concessimus , ut nullus metropolitanus , nullus Episcopus , nulla etiam magna vel parua alterius ordinis & gradus persona , praeter sedis Apostolicae antistitem infra terminos Misnensis Ecclesiae , cui venerabilis Episcopus Burchardus praefesse dignoscitur , quemque ordinare , dijudicare , excommunicare , vel aliquid temere exercereullo modo , presumat . & quae sequuntur .

## D C C C L X X .

Burchardus prouisor Ecclesiae Misnensis , ut Dittmarus eum nominat , ab Alberto antistite Treuirense , in praesulem consecratur x v . Calend . Nouembris vna cum Bosone Mersburgio , Hugone Citiente , Vdone Hauburgio .

Burchar-  
dus praeful-

## D C C C L X X I I .

Præful in suo pontificatu nihil egit , quam quod confirmationem pontificiam , & Cæsaream donationem ple-

Mors su-  
bita.

Volchul-  
dus pr.

bi publicauit. In itinere, lapsus de equo, cœrui ces fregit, x v i i i. Cal. Iulij. Succedit ei Volchuldus, seu (vt Lambertus) Volcradus, Vuilligisij Moguntini antistitis familiaris. Hic tempora lectionum & orationis, & munera Ecclesiasticorum distribuit: cibum cum Canonicis sumpsit, qui temporibus melioribus in his terris, non proprias rexerunt familias, sed familia fuerunt præfulis: neq; administris vicarijs vñ sunt, sed ministri Ecclesiae ipsi fuerunt. Prima enim istorum collegiorum institutio, disciplina monasticæ erat simillima: & hæc Ecclesia in literis pontificijs monasterium appellatur, vt modò relatum est.

### D C C C C L X X V I I I.

Misna vrbs  
capta a Boë-  
mis.

Vrbs Misna à Vuagione, Boleslai 11. Boemiam Duci præfecto, capitur per insidias. nam cum loci præfectum, absente Marchione colloquij causa, ad se euocasset: occupatis post eum portis, ad templum quoddam iuxta torrentem Trebisam, incantum occidit, & firmum vrbi præsidium imponit. Præfulem Volchuldum agit in exilium, qui primum fugit Moguntiam, deinde Erfurdiam concessit, donec Imperatoris auctoritate restitueretur.

### D C C C C X . C.

Boemi pel-  
luntur.

Echardus Marchio, ex vrbe Misna Boemos ejicit, Volchuldum reducit: præfuli Boemus pro illata iniuria satisfacit, eumq; recipit in fidem & amicitiam.

### D C C C C X C I I I .

Mors re-  
pentina.

Volchuldus Pragam euocatus, dum solenni parasceu-  
tes die, sacra celebrat, in stupore mentis atque artuum  
ante aram incidit, paucis horis superstes. Sedit annos tres  
& vi-

& viginti, moritur x. Cal. Sept. Tempore suo difficilimo, cùm sumptus supernacancos detrahendo, tum necessarios moderatè faciendo, ut res Ecclesiastica plurimùm augeretur, effecerat. Nam comitis Esiconis bona compa-  
rauit Vurcinam, Bicham, Bauchum, Lubenitium, anno  
duodecimo. Hic Vualtardo & Geroni Magdeburgijs infulas imposuit, & pedum tradidit. Oculis propter studia lippis & caligantibus fuisse scribitur, familiam suam regebat, non tam imperio, quām exemplo. Plura de eo Ditmarus, qui fuit eius familiaris. Volchuldo succedit vir generosus & eruditus Ido, comes Rochlicius, e collegio Mersburgio, quem Giselerus antistes Magdeburgius eo honore dignum censuit. Hic in munerib. Ecclesiasticis, baptizando, concionando, sacra administrando, diligens fuit, neque suæ modò Ecclesiæ fructum illum tulit, sed & Vandalis Transalbinis concionatus est, quod præfules tum fecisse, etiam constat ex Ditmaro, qui in sua confessione his verbis conqueritur, Postquam pastor effetus sum, docui subiectos, sed verbis tantum, non exemplis.

Incremen-  
tum Eccle-  
siae.

Eisco co-  
mes Vurcen-  
sis.

Ido præful.

Præfules  
concionato-  
res.

### D C C C C X C V.

Otho III. Imperator post redditum ex Italia, Misnam diuertens, ab Idone præfule, & à Marchione Echardo honorifice excipitur. Anno præcedente hiems à die III. Non. Nouemb. durauit usque ad III. Non. Maij. Secuta siccitas, fames, & pestis.

Pestis.

### D C C C C X C V I I.

Loca ad Albim terræmotu ingenti concusſa sunt usq; ad urbem Magdeburgam.

Terræmo-  
tus.

### D C C C C X C I X.

F 5

Aluci

Pestis.

Aluci flumiotorum siccata, vt ex putredine piscium mortuorum, pestis oriretur.

## M V I I.

Synodus  
TremonianæCanonici  
contumaces.

Ido præfus ad Synodum Tremonianam vocatur ab Henrico II. Imp. in qua de malis moribus & negligentia sacerdotum est actum: sed saepe frustra tentata eiusmodi emendatio. Tum Canonici tantum obediebant præfubus in sacris & ceremonijs: extra eas, sua libertate vtebantur, vix Imperatoribus ipsis parentes, cum de eorum vita & actionibus ageretur,

## M X.

Contentio  
inter Marchi  
ones.

Vastatio.

Arci Misnensi dux Boemiam, imposuerat præsidium, cui præcerat gener eius, Hermannus Marchio Misnensis nam urbem tenebat Guncelinus, Hermani patruus, qui cum fratri filio capitaliter dissentiebat: Ciues Misnenses iniuria lacescunt, absente utroq Marchione, expugnant arcem, & Boemos expellunt. Dux Boemus re cognita exules restituit, ciues sibi cogit satisfacere, & ex urbe Misna ad Elistrum usq fluum prædabundus excurrit.

## M X I.

Marchio  
in exilium  
missus.

Vilhelmus comes Rochlicius, ditionem paternam beneficio Imp. recipit. Marchio Guncelinus, qui urbem Rochlicium cremauerat, Lebusiam in Slauos ire in exilium iubetur, & vincetus eius loci præfecto traditur.

## M X I I.

Theadagus præfus Pragensis, a Bretillao duce Boemo, è dic-

è dicecesi sua ejicitur, qui Misnam ad Marchionem Echar-  
dum 11. diuertens, hospitio benigno excipitur. Huius  
Ehardi sago & pallio vestiti, extat adhuc statua Num-  
burgi in basilica. Vixit Echardus ille vltra annum octua-  
gesimum. Circa hoc tempus præsules Citienes, cœperunt  
dici Numburgani.

Ehardi  
statua.

M X V.

Corpus Geronis, Marchionis Lusatij, ab Ulrico rege  
Boemie in prælio interfecti, deportari in hanc urbem Ido  
præsul facit. Hinc mittitur in cœnobium Munchneubur-  
gum à patre ipsius Ditmaro conditum, in ditione Bern-  
burgia, prosequentibus funus Gerone antistite Magde-  
burgio, patruo ipsius, & tribus Marchionibus Misnensi-  
bus. Fuit Gero è familia antiqua Viburgia, quæ post Sclla  
uos electos, possedit Lusatiam. Atia ipsius Hidda post  
obitum mariti Christiani, Ierosolymam proficiscitur, néue  
placeret regi Aegyptio, vulneribus ipsa sibi fœdauit faci-  
em: teste Lamberto Schafnburgio, & Contado Lauter-  
bergio. Mater Geronis Suanhildis Luneburgia post prio-  
ris mariti obitum, nubit Echardo Turingiae & Misniae Mar-  
chioni, qui factus est rebellis Henrico 11. Imp.

Gero Lu-  
satiae Mar-  
chio.

Exemplum  
pudicitia.

Echardus  
rebellis Imp.

Vrbs Mis-  
na oppugna-  
ta a Polonis.

Anno eodem vrbis Misna obsidetur à Mesicone, ducis  
Poloniae Bolislai filio, Idib. Sept. cùm Marchiones Misnen-  
ses Guntherus & Echardus 11. abessent in castris Impera-  
toris, & Hermannus eorum frater, eodem die urbem intras-  
set, quo hostis cremauit suburbia. Oppugnatio acriter  
cæpta in vico Vuasserburgo, & iniectus in tabulata dua-  
rum turrium ignis est, quæ propter inopiam aquarum, sunt  
hydromeli restinctæ à fœminis. Mesico, qui suos sterni, &  
ciues pugnare fortiter, de colle propinquo pròspiciebat,  
suos reuocat. Ea nocte imbre repentina Albis incremen-  
tum cepit, veriti Poloni, ne sarcinas vltra ripam amitte-  
rent, & iter illis auctu fluminis intercluderetur, re infecta  
disce-

Memoria  
conseruatæ  
urbis.

discidunt, cùmque in vicinia esse audirent Imperatoris præsidia, fugam celeriter capessunt. Hæc ex Ditmaro. Huius beneficij memoria ne intercidet, dies nativitatis Mariae solennis fuit habitus, vsque ad patrum memoriam, ciuibus omnibus collectis ad curiam, mulieribus ad consulis domum, vt templum in foro frequentes pariter adirent, & Deo animis coniunctis gratias agerent, & mala porrò instantia deprecarentur.

Præsul fa-  
tidicus.

Eodem anno Ido præsul è legatione Polonica rediens, quam Imp. iussu obierat, dum in Franciam properat, vbi tum agebat Imperator, incidit in morbum Lipsiæ, è quo non conualuit: diem obitus sui amicis prædictis. In vrbe Misna, quod vastationem ei loco imminere diuinaret, se peliri se prohibuit. Moritur xiiii. Calend. Ian. anno sessiōnis vno & vigesimo. Hilardus Citiensis præsul, & Vilhelmus comes Rochlicius Misnam vsque funus prosecuti sunt: inde vt petuerat, paucos post annos ab Hermano comite Rochlicio, corpus eius Colditium est translatum, & loco humili conditum in templo diui Magni. In eius locum ab Imperatore mittitur Eilwardus, qui Ditmaro Marchioni Lufatio antea à sacris fuerat.

Eilwardus  
præsul.

## M X V I.

Sanguis e  
pane.

Cum rusticus quidam familie panem diuiderer, aliquoties ex eo sanguis effluxit. Eo prodigo bellum portendi existimatur.

## M X V I I.

Primus  
Burggrauius  
Misnenis.

Fridericus Illeburgi comes, primus Burggrauius Misnæ constitutus, grandi ætate moritur, die profecto Epiphaniæ.

Dux Boemiarum Bolislaus agmen quadripertitum immittit in

tit in Misniam , vt vrbem hanc circumuentam Guncelino Marchioni iam restituto , vi & fraude eriperet : sed proditis eius consilijs , cum multo suorum damno cogitur discedere . Mogellani tria Boëmorum millia occidunt , reliquos ad oppidum Strelam , in Albim impellunt , Lomatum oppidum , & villa Zerena in aditu Cheleboscij cremenatur . Copiosius hæc in libro 111. Originum Saxonicarum commemorabimus .

Boëmus  
victus.

## M X V I I I .

Post Cometam visum pestis sequitur . Fuit tempus annum multis religiosis fatale , Ditemaro præfuli Mersburgio , Balderico Leodiensi , Arnddo Rauennati , Aldigero præposito Halberstadio , Othoni presbytero Magdeburgio . Hi omnes in Chronicis Quedelnburgio memorantur . Item Henrico Vurzburgio , Gundegaro Eistaden- si , Popponi abbatii Fulano , qui in Chronicis recensentur alijs . Hoc eodem anno Chronicon Ditemari præfulis Mersburgij viri boni & diligentis , finit .

Cometa .  
Annus fatalis .

## M X I X .

Pagi inter Albim & Mildam exercitū Boëmico vastantur , abductis ultra mille agricolis . Bruno Marchio Misnensis exul apud Boëmos , Hermanum Echardi fratris sui filium , in itinere , cum Misniam à regio præfecto ducetur , voluit intercipere , sed insidijs patefactis , spe sua eluditur .

Vastitas .

## M X X .

Albim & Visurgim fluijos , in parte septentrionali tribus diebus totidemq; noctibus , arsisse vaporibus flammeis , & fundotenus extra alueum incredibiliter elatos , in

Pluminum  
ardor prodigious .

Chroni-

**Serpentes.** Chronico Quedelnburgio scribitur. Aquis decrescentibus, corpora infinita hominum inuenta sunt, quæ cum pium quorundam studium terræ mandare vellet, spiris fermentum ita implicata inter se fuerunt, ut nulla vi, nulloq; ferro diuelli possent. Itaque ut per aceruos aggesta iaceant, obruti terra aut harenis sunt. Secuta aëris corruptio, & pestis violenta.

**Pestis ex putredine.**

## M X X I.

Eilardus præful interfuit dedicationi basilicæ Quedelnburgiæ, & aram quartam ad aquilonem ipse sacravit, præsentibus Henrico II. Imp. & eius vxore Cunegundi. Item patruelæ Adelheidi, antistita Quedelnburgia, & Sophia sorore, sacerdote Paderbornia. Quo die cum agnatis suis, antehac celebriorem Imp. non habuerat. Hoc anno desinit cum vita Henrici II. Imp. Chronicum Quedelnburgium.

## M X X I I I.

**Exemplum disciplinx.**

Idem præful, moritur xxi. Calend. April. cum sedisset annos octo. Hic vir, adeò frugalis fuit, ut legem in alias nullam sanciret, quam ipse non obseruaret diligenter.

## M X X I I I I.

**Vimbertus  
præful.**

Vimbertus præful obit Non. Aprilis, consecratus ab Hunefrido Magdeburgio.

**Ditericus  
I. præful.**

Ditericus I. præful obijt vi. April. Interfuit Synodo Franco

## M X X V.

Francofurdiæ, cui Imperator Conradus II. cum duobus & viginti Germaniæ præfulibus ipse præfuit propter Aribonem Moguntinum, & Gothardum Hildesheimum.

Synodus  
Francofur-  
diana.

## M X L V I.

Post mortem Diterici secutum schisma. In electione Henricus III. Imperator suam auctoritatem interponit, & Reinerum præfulem Misnensibus mittit, qui consecratus ab Engelhardo Magdeburgio.

Reinerus  
præful.

## M L X.

Reinerus præfut perficit, & dicat diuæ Afræ monasterium, Nicolai II. Romani Pontificis, anno secundo: Henrici Imp. IIII. anno quarto. Obiit xvi. Cal. Maij. In Hildeshemio & Chemnicense Chronicis, scribitur eius nomen, Rotmanus.

Eodem anno Craftus præpositus Goslariensis, designatur præfulus, à Vuernero antistite Magdeburgio, voluntate Imp. Hic à diabolo strangulatur: nam cùm ditissimus esset, & thesaurorum suorum, quam facrorum studiosior, in conclave ad numerandam pecuniam, sèpius se inclusit. Quod cùm more consueto faceret, quodam die horrendum in modum exclamat in cubiculo. Eius ministri cùm territi accurrerent, pecunia incubantem, colore tetro & fractis cernicibus inueniunt. Testis Lambertus Schafnaburgius, id factum xiiii. Calendas Iulij.

Craftus  
præfulus  
strangulatus a dæ-  
mone.

## M L X I.

Dedo Marchio Misnensis rebellis Imperatori, Beich-  
lingo

Marchio  
rebellis Imperatori,

Beich-  
lingo

lingo arce Turingorum vetere, quam tuebatur, expugnata, interficitur a ministro proprio, & permisso Imperatoris Misnam transfertur, ad sepulchra maiorum: quæ in medio basilicæ templi cathedralis tum fuerunt.

## M L X V I.

Meinuardus  
dus præsul.

Benno præ  
sul.

Præsules  
conspirant  
contra Imp.

Misna tra  
ditur Boe  
mis.

Meinuardus præsul in Crafti locum è Goslaria missus, annos sedet quinque & menses aliquot, moritur III. Non. Maj. Huic Benno succedit, è nobili familia Saxonica, comitum Vuoldenburgiorum, qui fuit antea Goslariensis præpositus, & Abbas Hildesheimius, & ab Henrico III. declaratus præsul Misnensis. Incidit in tempora turbulenta, nam contra Imp. conspirare cum principibus & præsulibus cogitur: homo (vt Lambertus scribit) Ecclesiasticæ paupertatis, & nihil aut parum habens pompæ militaris. Vota (inquit idem) forsitan contra Imperatorem facere, arma ferre non poterat: nec magnum vel his vel illis partibus momentum, amicus siuerimimicus extitisset. Recentiores nonnulli Sclauum suisse dicunt, & ei pagum Gædam, pattiam assignant, quo in loco concinatum, & sacellum struxisse fama est: sed vulgi sermoni hanc fabulam relinquimus.

Henricus III. Imperator milite Boëmico & Francico in Misniam venit, cui ciues Misnenses urbem denfensoribus yacnam dedunt. Bona præsulis dantur deripienda. Vrbs Vratissao duci Boëmia traditur.

## M L X I X.

Inopia.

In tota Misnia frumenti maxima inopia è bello, & iniquo frugum protentu.

Henri-

## MLXXI.

Henricus 111. Imperator conuentu Misnæ indicto, Boleslaum , & Vratislaum illum Poloniæ , hunc Boëmiae ducem dissentientes , à mutuo odio & maleficio iubet desistere , eicp se socium contra alterum profitetur , qui primus arma sumpturus esset , cuius compositionis forma publicè est in templo Misnense recitata , præsentibus Imperatoris consiliarijs , Vuelzone antistite Magdeburgio , Annone Colonense , Alberto Bremense : præsulibus , Burchardo Halberstadio , Eppone Citiense , Vuernero Mersburgio . Ducibus , Othono Bauariæ , Magno Saxonie . Marchionibus , Eberto Turingiæ , Dedone Misniæ , Vdone Lusatia . Comitibus , Gerone & Thimone Vuitinis , Burchardo Misnense præfecto , eiusq; filijs Euone & Burchardo . Eodem tempore ijsdemq; præsentibus , quidam nobilis Slauus Borus nomine , consensu Vuichardi & Ludge-ri filiorum , in diœcesi Nissana villas decem , templo Mis- nensi obtulit , ea conditione , vt pater ipse dum viueret , ijs frueretur , post mortem filij easdem æqualiter diuiderent : si alter obiret , hæreditas illius ad alium non veniret , si es- set mortuus vterq; , hæreditate illa præsul integre poti- retur .

Concilia-  
tio.Liberali-  
tas.

## MLXXV.

Dedonem Marchionem , Dedonis interfecti filium , Imp. Henricus ditione exxit , Bennonem præsulem vin- etum abducit , oppidanis absque omni alia iniuria præfatum constituit .

Marchio-  
nis exilium.

## MLXXVI.

Imperator auxilijs Boëmicis prouinciam Misniam igne ferroq; iam tertium depopulatur , & vrbi præsidium cepta .

G firmus

Misna re-  
cepta.

firmius imponit. Saxones ne opem vicinis ferrent, Mildæ fluuij inundatione prohibentur. Ecbertus 11. Turingia Marchio, Imperatoris patruelis, vt primum aquæ decrescentes præbuerunt militi transitum, & ducem Boënum & præsidia eius ejicit, cui comites Brenenses fuerunt auxilio, Ditericus & Vilhelmus, iuvenes fortissimi, qui exules tum temporis conatibus Imperatoris plurimum obserant.

Comites  
Brenenses  
exules.

## M L X X X V I I I .

Bennonem præ-  
ful restitu-  
tus.

Bennonem præsulem Clementi 111. Pont. supplicem, Henricus Imperator in pristinam dignitatis sedem restituit, & liberaliter tractat, vt post id tempus testantur privilegia scripta Rochlicij, Alsteti, Goslaria, Mantua, Spiræ, Moguntia, Bernæ. De hac Bennonis pœnitentia, auctor qui huius temporis historiam, pro Imperatore scripsit, non nominatus, quem in æde diu Hemerani Auentinus Ratisbonæ : in Fulda bibliotheca Huttenu inuenit, ita scribit : Ex his omnibus ( inquit ) Episcopis, qui vel damnati fuerant, vel depositi, unus Bennus Misnensis, venit ad sedem Apostolicam, pro errore suo veniam petiturus, quam impetrat. Clemens etiam Papa 111. antea Vipertus, Episcopus Rauennas ( quem Gregorio Septimo successorem dederat Imperator ) pœnitentem benignè suscepit, & tractauit honorificè : abeun tem quoque cum literis ad Imperatorem misit, quem & ipse correctum libenter accipiens, libere in Episcopium suum abire permisit. Sed illa satisfactio ( inquit idem auctor ) utinam fuerit pura, sincera, atque catholica: nam certum est eundem Episcopum nihil deinceps viriliter egisse, cum comprouincialibus Pseudoepiscopis, vel cum Saxonæ principibus, pro reparatione & studio pacis Ecclesiasticae : quales dicuntur à Domino per

per Isiam Prophetam , speculatores cæci , canes mnti , non valentes latrare , quoniam sicut Gelasius Papa scribit , Præuaricatoribus vtique consentiens , quisquis suggestione , qua potest , non resistit : & qui alias ab errore non reuocat , errare seipsum demonstrat . Hæc ille .

## M L X X X V I I I .

Vratislaus I. Rex Boëmiæ anno superiore designatus , ditionem Misnensem , ab Imperatore dono datam , armis sibi vendicat , & ad urbem Misnam castrum Guozedecum ( vt Cosmas nominat ) intra breue spacium extruit , præsidijsq; firmat . Hodie huius castri & locus & nomen plane ignoratur .

Guozede-  
cum arx iux-  
ta Misnam.

## M X . C V I I I .

Castrum modò dictum rex in locum munitiorem transfert . Interea Beneda exul , vir illustris , quem rex moderat , ad Bennonem præsulem confugit : Hunc rex specie colloquij circumueniens , ei persuadet , vt gladium deponat , quod cum fecisset , ipsum compræhendi mandat . Vir animosus alio gladio , de femore regij cubicularij rapto , ipsum cubicularium primo idu prosternit , regi pugnanti tria vulnera infligit : demum à turba è castris aduolante opprimitur . Mortui corpus equo tractum , & ante fores templi Misnensis conditum v. Idus Iulij . Idem Cosmas de cuius historia hæc transtulimus , Benedam virum iustum & Dei martyrem nominat .

Beneda  
Boëmi faci-  
nus.

## M C V I I .

Beno præsul obit, anno atatis suæ sexto & nonagesimo, sessionis septimo & quadragesimo, x v i. Cal. Iulij. In numerum Diuorum quando relatus sit, & quibus auctoribus, libro tertio exponetur.

Hervigus  
præsul.

Eodem anno, qui fuit Henrici v. Imp. electi primus, eligitur præsul Hervigus, qui templum Vurcinense ad Meldam fundauit intra mœnia, inq eo fuit sepultus. Tumulum eius clatrī circundatum diruit Erasmus Spigelius, nostro tempore.

## M C V I I I.

Donatio.

Donatio facta ab Henrico v. templo Misnensi, quam confirmarunt antistites Fridericus Coloniensis, Bruno Treuirensis, Adelgodus Magdeburgius. Præsules, Albinus Mersburgius, Otho Bauenbergius, Burchardus Monasteriensis.

## M C X V I I I.

Grambo-  
rus præsul.

Hervigus præsul obit v. Calend. Iulij, cui Gramborus succedit.

Fluvio.

Eodem anno aquarum magnitudine agris villisq illata, vastitas est, mense Septemb.

## M C X X.

Præsules Misnensis & Hauelburgius, Magdeburgi erant, vt Norbertum antistitem Heriberti domini Sandini filium conuenirent. In ea vrbe prid. Iulij, tumultus à plébe excitatur, quod antistes maiorem Ecclesiam violatam, noctu clam dedicasset. Obsessus ipse cum duobus socijs præsulibus, & conuicijs ciuium, tanquam sacrilegus agitatus, pacem à ciuib⁹ consequitur, amborum præsulum rogatu, vt scribit Conradus presby-

presbyter Lauterbergius. Huius temporibus Ditericus præfus Citiensis, in colle Bosenam monasterium extruit, qui cum religionis ac disciplinæ esset obseruans, adolescens tem quendam Sclauum, quem multis beneficijs affecerat, sed admodum contumacem, saepe obiurgans, officij sui admonebat. Verum sceleratus homo non de emendatione, sed de vltione cogitans, oblato tempore, quo in monasterio sacra præfus faceret, eum ante aram sica trajicit, & quia meditatò facinus commiserat, impunis euadit.

Præfus  
Citiensis ce-  
des.

## M C X X I I I.

Henricus v. Imp. morte Dedonis Marchionis cognita, eius ditionem regis Vratislai genero, comiti Ostrolandiæ Viperto, militiae exactæ præmium, tradit possidentem, sed eam ultra triennium non tenuit: Henricus enim Henrici nepos, Dedonis filius, qui pro patre obses fuerat, & è custodia præfecti imperatorij effugerat, auxilio Electoris Saxoniz Lotharij, qui paulò post imperauit, expellit Vipertum, & paternam prouinciam recipit. Hostes electi agrum Misensem vastant, vt Cosmas tempora notat, sole morante in decimaquinta parte sagittarij: vt nos loqui solemus, die x 1111. Nouembris: vt Romanorum ratio habet, viii. Calend. Decemb.

Misna da-  
ta comiti Vi-  
perto.

## M C X X V I.

Vetere Marchionum gente, de stirpe atque familia Brunonis Vuernechini filij, extincta, prouinciam Misensem Imperator Lotharius, Conrado Vuetini comiti, Thimonis filio, affini suo concedit, cuius posteritas rerum adhuc potitur feliciter, & à Vuitichindo Magno, Brunonis fratre, auspicatam dicit originem.

Conradus  
L. Marchio  
Misnensis.

## M C X X I X.

*Godevol-*  
*dus præful-*  
Gramborus præful obit prid. Calend. Jun. cui succe-  
dit Godeboldus, vel (vt Sarctorius illum vocat) Gothol-  
dus.

## M C X X X.

*Synodus*  
*Misnensis.*

Anno Lotharij Saxonis Imp. quarto, Godeboldus synodus conuocat in urbem Misnam, omnium sacerdotum suæ dioecesis. In ea congregatiōne disciplinam laxatam restituere, & licentiam sacerdotum coercere voluit: sed ita ab omnibus ei repugnatum est, vt desistere à proposito cogeretur. Ei synodo Marchio, cum filijs Othonie, Diterico, Henrico, Dedone, Friderico interfuit. Abfuit Hermanus præful Bauenbergius, qui in omnibus Annalib. Misnensis omittitur.

Funus Viperti comitis Ostrolandiæ, cum vicinis aliquot præfulibus in Pega monasterio præful Misnensis procurat.

## M C X X X V.

Finit Chronicum Gotesecuum, anno Lotharij Imp. nono.

Mense Decembre tanta vis ventorum, vt multas domos in agris vrbibusq; destrueret.

## M C X X X I I I .

*Eclipsis so-*  
*lis.*

Eclipsis solis tanta, 1111. Non. Augusti, vt manē hora diei octaua, stellæ in cœlo apparerent, cuius mentio in supplemento Lamberti Schafnaburgij, quod Monachus quidam Erfurianus collegit.

*Gode-*

## M C X L .

Godeboldus obit Calend. Septem. cui Reinuardus Reinual-  
præpositus, successor datus est. Hoc sedente quatuor dus præsul.  
castella diruuntur, Groninga, Anhaltum, Gabelentia,  
Vuitega, vt ait Conradus presbyter. Eiusdem tempo-  
ribus Bruno comes Pleisensis, Vuillæ vxoris instinctu, coe-  
nobium Smollense ad Salam transtulit, & Portam appell-  
lari fecit: quod antea ad Sprottam fluum fuit situm.  
Smolla autem incrementum sumpsit, ex æde beatæ vir-  
ginis, ad quam concursus non minor fuit, quam ad A-  
quisgranensem, vt ait Sarctorius.

## M C X L I I I .

Hiems aspera & diurna & niuosa. Hoc anno Her-  
manus Burggrauius Misnensis, & Henricus Leisnicius  
subscriperunt diplomati Conradi II. Imperatoris, quo  
confirmauit fundationem Lotharij, de cœnobio Chem-  
nicense extra mœnia.

## M C X L I I I I .

Inter Reinuardum præsulem, & Conradum Mar-  
chionem Misensem, ob villas aliquot in diœcesi Nisana,  
circa urbem Budissinam sitas, contentio oritur: quam  
Conradus II. Imperator æquis conditionibus dirimit, iu-  
re partibus ambabus præscripto. Cum Marchio esset  
alieniore erga præsulem animo, Eugenius III. Romanus  
Pontifex, literis eum principi commendat, & reconciliat,  
vt est in Annalibus Lauterbergi.

Lis inter  
præsulem &  
marchionem.

## M C X L V I .

Berthol-  
dus.

Reinwardus præfus obit ix. Cal. Aug. in cuius locum Bertholdus succedit, de quo nihil invenimus, præter obitus diem xiiii. Cal. Sept.

## M C L I.

Fames &  
Iues.

Fames & pestilentia, quæ secuta sunt hiemem, adeo asperam, ut apes & volucres frigoribus perirent.

## M C L I I.

Albertus præfus à Conrado Imp. euocatur Aldeburgum, ad Pleisam amnem, à quo propter eruditionem & prudentiam legatus in Græciam mittitur, ad Immanuelm Imp. Constantinopolitanum. Huius præfus nomen Legatio in catalogis communibus, ideo fortasse omissum, quia Græciam. procul à patria, in itinere periret. In Chronico Saxonum nominatum inueni, quod desinit circa annum M C C L.

## M C L I I I.

Bruno i. præfus, obit xiiii. Idus Junij nec ultra biennium sedidit. Ei succedit Gerungus, abbas Bosanus, decimus ordine, qui à Friderico Imp. in demortui Alberti (ut Chronicum Saxonum) vel (ut catalogus Misniensis) in Brunonis locum missus est: vir opinione integritatis clarius. Anno suæ sessionis primo, x. Cal. Decemb. exilibus Flandrensisbus, Coranam villam prope Vurcinam habendam concessit. Ad instaurandum montis diui Vititem plumbum in Vodlandia, ter igne iniecto absumptum, Olsnicensibus impensas misit. Primus bibliothecam instituit, quam postea sub Iohanne vxi. auxit libris, & ædificio ornauit, Melchior Meca Cardinalis, præfus Brixinensis, & Misniensis præpositus. Inter viros laudatos celebratur Cerun-

Templo  
diui Vitii.

Biblioth-  
ca.

Gerungus, in Annalibus Lauterbergi. In hac bibliotheca inuenti nuper sunt sermones quatuor De patientia Iob, & decem De pœnitentia, quos vertit Lilius Tifernas, quas Cochlaeus curauit excludendas primū Lipsiæ per Nicolaum Vuolrabium M. D. XXXVIII.

## M C L V.

Conradus Marchio Misnensis, quem Magnum vocat cognomento Sarctorius, Pium alij: suasu Vuigmani antistitis Magdeburgij, & Gerungi præfulus, dedicat templum Lauterbergianum, situm non procul ab Hali Saxonica, in monte.

Mons Se-  
renus, seu di-  
ui Petri.

## M C L V I.

Idem Marchio præsente Vuigmano suæ sororis filio, antistite Magdeburgio: præpositis Conrado Hallense, Ernesto Numburgano, Friderico Kettelingo, præterea genero suo Alberto Marchione Brandenburgio: comitib. Hoiero Mansuelio, Vualthero Arnstadio, Burchardo Falchensteinio: plurimis item nobilibus, arma equestria vltro exuit, & in basilica Misnense suspendit. Inde pridie Cal. Decemb. in Lauterbergum concedit, habitumq; religiosi assumit, post duos menses, ac dies quinque obit ibidem: liberorum tredecim parens, è quibus Hermanus filius, præfus Bauenbergius, in nostris Annalibus non memoratur. Eius filia Gertrudis Hermanni Palatini Rheni vxor, perperam in monumentis Cellensibus eius soror dicitur, cùm sororem habuerit Mathildim, Geroni comiti Bauariae nuptam.

Marchio  
fit canonicus  
regularis.

Error An-  
naliq;.

## M C L V I I.

Boëmus  
vastat Misni-  
am.

Vladislaus Rex Boëniæ 11. Misniam regionem ar-  
mis & rapinis invadit: sed mox ductus facti violenti pœ-  
nitentia, pro damnis illatis, præsuli Gerungo satisfa-  
cit.

Naulum. Eodem anno naulum, quod de traiectu Albis, ponte  
publicio nondum facto, peculiariter pendebatur familiae  
præsulis, Gerungus redditibus templi assignat.

Burggra-  
uius Misnæ.

Circa hoc tempus, Hermanni Burggrauij vrbis Misnæ,  
& Prebeislai eiusdem vrbis aduocati, quos nunc præfe-  
ctos nominant, sit mentio in Chronico Lauterbergio.

## M C L X .

Comitia  
Erfurdiana.

Comitia Erfurdiaæ celebrantur, mandato Imp. Fride-  
rii 1. quibus bellum decretum est in Insubriam contra  
Mediolanenses. Interfuerunt antistites, Treuirensis, Co-  
loniensis, Magdeburgius: præsules, Eberhardus Bauen-  
bergius, Eberhardus Mersburgius, Bertholdus Citien-  
sis, Gerungus Misnensis. Duces, Henricus Saxonum,  
Fridericus Sueorum, Ludouicus Turingorum, Conra-  
dus Palatinus Saxonum, Albertus & Otho Marchiones  
Misnenses.

## M C L X I I L

Eluuio.

Albis fluuius ripam transgreditur, cum infinita agro-  
rum strage.

## M C L X I I I L

Pluua  
ferri.

Circa festum Pentecostes in magno typhonè, pluie  
ferro, annotauit Sarctorius.

## M C L X V I .

Frumenti

Frumenti omnis generis magna vbique copia.

## M C L X X .

Gerungus cum cœnobium Lauterbergianum visitandi gratia adiret, in morbum incidit, & ibidem mortuus x i i i. Calend. Decemb. Misnam ad sepulchra præsulum refertur. Datur ei successor ex eodem cœnobio Martinus, qui cum principibus & sacerdotibus, summa vixit cordia, vir moderatus & simplex. Eius in priuilegijs Lau-  
terbergi fit mentio, & in supplemento Lamberti.

Martinus  
præsul.

## M C L X X I I I .

Ventorum fuit tanta vehementia, tota æstate, vt inopia sequeretur frugum: toto verò autumno, tantæ pluviæ, vt inde non modica inundatio.

Sterilitas.

## M C L X X V .

Aestas admodum sicca, & tempestates fulminum, quibus excitata multis in locis ædificiorum incendia.

Incendia.

Otho Marchio Misnenensis Conradi filius, ad fluvium Muldam fundat in siluosis vallibus cœnobium veterocollense, ante quod tribus annis à Friderico Imperatore fundatum fuit Aldenburgum.

## M C L X X V I I .

Saxoniæ Palatinatus à comitibus Gotescecijs ad Landgrauium Turingiæ, & Misniæ Marchionem Ludovicum i i i. munere Friderici I. Imperatoris inde ad Henricum I. Marchionem Misnensem, hæreditate peruenit.

Palatina-  
tus Saxonix.

Otho

## M C L X X X.

Comitia  
Vurcibur-  
gia.

Otho & Ditericus fratres, Marchiones Misnenses, interfuerunt comitijs Vurciburgijs, in quibus Imp. ducatum Bauariae & Saxoniae, ademit Henrico Brunsuigio, cognomento Leoni, Henrici Nigri filio.

## M C L X X X I I I .

Nobilitas  
disciplinae  
impattens.

Probst tum-  
pel.

A Dedone diuæ Elizabethæ proauo materno, comite Rochlicio, conditum est Cillenense cœnobium ad Muldam, in quo nobilium tantum liberos educari voluit: sed breui & religionis forma, & principis institutum mutantum est. Illi enim non pietatis studijs, sed odijs inter se & inuidia certantes, cancellos legum ac disciplinæ rumpunt, suumq; præpositum in coercenda petulantia acriorem, armis inuadunt, & pede mutilant, & in profluentem coniuncti: vnde is locus nomen seruauit, vt præpositi gurses appelletur. Secundum à præposito, priorem vocant, in collo & capite lethaliter vulnerant. Post illud facinus, cœnobium cum redditibus Hardemano comiti Heldrungio ordinis Teutonici magistro assignatur, & nobilitas contumax iussa fuit ire in exilium. Cillena nostro tempore mutauit nomen, & appellatur nunc Vuechselburgum. Isdem temporibus à Marchionibus Misnenibus fundata Dobralucha ad Elistrum nigrum, in Lusatia à Diterico: Bucha ad Zscopæ fluminis ostium, in Osterlandia, à Friderico: Brena prope Halim Saxoniam, à Friderici filijs Othonne & altero patri cognomini, qui in locis transmarinis cum Barbarosa Imp. perijt in vrbe Ptolemaide.

## M C X C.

Comitia  
Moguntina.

Martinus præfus vitam finit, Id. Iul. qui in conuentu Moguntino

Moguntino consenserat, in expeditionem & bellum sacrum in Palæstinam, eidem sufficitur præpositus Misnensis, Ditericus i. Hic cœnobij Afrani reditus & libertatem auxit, Canonicis deligendi præpositi, quod ius penes præsulem fuerat, potestatem concedit, ita tamen, ut ele<sup>Ditericus II. præsul.</sup>ctus auctoritate ipsius confirmaretur. <sup>Libertas concessa.</sup>

## M C X C.

Dedo Rochlicius, Conradi Marchionis Misnensis filius, dictus propter obœsitatem Crassus, obit x v 11. Calendas Sept. Hic aruinam corporis secundam medico præbuit, antequam cum Henrico v 1. iret militatum in Apuliam, ut scribit Conradus Lauterbergius. Filiam habuit Agnetem, quæ Bertholdo duci Meraniæ erat collocata: hac in filiabus duabus mater extitit infelix: nam primam sibi cognominem (non Mariam dictam, ut Aemilius scriptor Gallicus) instinctu Innocentij 111. Pont. maritus Gallia rex Philippus repudiat, & Pontiacum relegat. Alteram Gertrudim duxit Andreas rex Vngariae, qui eam interfici iubet, nescio cuius adulterij consciam. Hæc perperit Elizabetham, vxorem Ludouici v 1. Turingia Landgrauij: quæ itidem infelix, nam matrem amisit gladij supplicio, maritum in locis externis propter nauigationem nausea, filium domi veneno, ipsa præterea à leuiro suo possessione expulsa est: ista tamen omnia femina præclara superauit virtute & patientia. In numerum diuarum post obitum ascripta, tumbam habet Marpurgi in Hassia.

## M C X C I I I.

In agrum Misnensem Boëmus Sobislau<sup>s</sup> facit incur-  
siones, & ex eo locisq; vicinis prædam agit.

Incurcio.

Misna

M C X C V.

Misna yrbs  
capta.

Misna capitur ab Henrico VI. Imp. qui Alberto Mar-  
chione, Othonis Diuitis filio fugato, eam triennium re-  
git per vicarios. Discordia principum de imperio certan-  
tium efficit, vt Ditericus Marchio eiusdem Othonis filius  
paternam atque aitiam prouinciam, sine armis atque  
tumultu recuperaret.

M C C V I.

Ludus  
Afranus.

Ditericus præsul puerorum duodecim ludum insti-  
tuit, in cœnobio Afrano, qui ipsius eleemosynis viue-  
rent, & in literis ac Musicis erudirentur: cuius institutum  
ad nostra usque durauit tempora, & eius ludi ultimus  
magister fuit Wolfgangus Pfendnerus, postea doct̄or  
Theologiarū, & pastor Annebergius, vir singulari doctrina & grātiae.

Ordines  
mendicanti-  
um.

Litem quæ inter præsulem, & Burggrauium Donen-  
sem intercesserat, Ditericus Marchio Misnensis eodem  
anno componit. Circa hæc tempora duo mendicantium  
ordines capiunt initium, Dominicanī, & Franciscanī: ille  
in Aemilia, hic in Umbria, Italie regionibus. Erant tum  
& de imperio, & de pontificatu contentiones tantæ, vt  
omnis religio & disciplina neglectui haberetur: vnde po-  
stea superstitioni & erroribus plena fenestra aperieban-  
tur. Sacerdotes enim de dignitatibus prælia suscipiebant,  
& munus docendi concedebant alijs, quod in claustra ad  
monachos secessit.

M C C V I I.

Schisma.

Ditericus præsul cum sedisset annos septendecim, IIII.  
Cal. Sept. obit, fautor modestiarū & studiorum. Durauit  
schisma

schisma supra anni spacium , antequam alius eligeretur .  
Siffridi presbyteri Misnensis Chronicum hic terminatur ,  
anno Alberti I. Imperatoris nono , Clementis V. secundo :  
vt ipse in præfatione testatur .

Hoc anno de cœlo tacta basilica Misnensis : sed Mag-  
deburgia diui Mauricij tacta est & cremata .

Fulmen.

## M C C I X.

Tribus competitoribus remotis , Bruno II. antea  
præpositus Misnensis , pronunciatur præfusl . Fratres Mil-  
denstenij Arnoldus , Henricus , Richardus , à quib . ipse de-  
cimas exigebat , in diecessi Francobergia ad Tschopam  
fluum , ditionem præfuslis ferro & igne violent , & tempo-  
re locoq̄ captato , præfulem capiunt , & comitem eius sa-  
cerdotem mutilant . Quod factum , cùm instigante Ho-  
notio pontifice , animo iniquissimo ferret , Ludouicus  
VI. Turingiæ Landgrauius , Henrici Marchionis Misnen-  
sis , sororis suæ filii tutor , nobiles cogit , vt præfulem in-  
columem dimittant , cumq̄ sibi , quasi sacro parricidio  
commisso , reconcilient . Illi ad satisfactionem compulsi ,  
primum censura Ecclesiastica , vt vniuersi cum triginta  
alijs nobilibus , habitu supplicantium , fascesq̄ virgarum  
manibus omnes tenentes , à præfule Mersburgio veniam  
delicti in publico conuentu peterent : Arnoldus deinde  
solus , qui sacerdotem vulnerauerat , cum alijs quinqua-  
ginta nobilibus , templum Misnense supplex ac sordida-  
tus , nudis pedibus intraret , & se præfuslis iudicio sub-  
mitteret . Placata sacerdotum ira , iufsi sunt à tutore  
principe decimas dare præfusli , de suis bonis omnibus ,  
& tria pondo argenti annua numerare : tum solum pa-  
trium vertere ad biennium . Terrore aduersarijs tanto  
exemplo incusso , administrationem minimè turbulentam  
in posterum habuit .

Bruno II.  
præfusl.Poena in  
nobiles qui  
sacerdotem  
laerant.

Tanta

M C C X.

Hiemis a- Tanta hiemis intolerantia , vt homines multi frigore  
speritas. perirent , arbores vsque ad radices imas gelu exarescerent.

M C C X I.

Repudium  
filii Marchi-  
onis.

Adela Othonis , cognomento Diuitis , Marchionis Misnensis filia , non soror eius , vt Crancius , repudiatur à Premislao rege Boëmia. Causa repudij ponitur in monumentis Cellensibus , propinquitas : à Dubrauio , sterilitas : sed neutra vera est . Nam coniunctionem eorum nemo impedijt , & ipsa parens quatuor liberorum fuit . Habere autem eam vxorem Boëmus recusavit , odio fratris eius , affinis sui Diterici Marchionis , ideo quod partes regis Romani Philippi soueret , contra factionem Othonianam , cui Boëmus erat addictissimus : vnde Othogarus , quasi Ottisch gar nominabatur , vt idem Dubrauius scribit . Causa Adelæ à Pont. Innocentio 111. demandata est arbitris Alberto 11. antistite Magdeburgio , & præposito Seburgensi : vt testatur constitutio decretalis lib. 2. titulo De testibus & attestationibus 20. cap. 46. Cuius constitutionis verba subscribam , quæ ex hac annotatione nostra fient apertiora .

### A N T I S T I T I M A G D E B U R G E N S I , E T P R A E P O S I T O S E B U R G E N S I .

Constitutis in præsentia nostra , procuratore sororis nobilis viri Diterici Marchionis Misnensem , & nuncio illustris Principis Boëmorum , ipsa volente ad ipsum accedere , vt suas coram eo proponeret actiones : sed à satellitibus eiusdem prohibita , qui eam bis vel tertio prohibuerunt ingressu , post appellationem ad nos interpositam , diuortij

diuortij sententiam promulgauit, à qua ipsa fecit ad nostram præsentiam prouocari, &c. Mandamus, quatenus partibus ad locum idoneum conuocatis, recipiatis testes, quos vel nobilis ipsa pro se, vel princeps pro parte sua (cùm nondum testificata didicerint) super processu Pragensium Episcopi, vel posteriorum iudicu[m] duxerint producendos: & nobilis ipsa pro se, vel testes, quos induxit Episcopus, ves alios si voluerit inducere, non vetetur, cum non renunciauerit testibus producendis.

Causa transacta non est, sed Adela ad mortem usque exulauit. Cui frater Marchio de eius sententia ex ipsius dote cœnobium condidit in Vuaslerburgio, quod post paucos annos ex urbe translatum ad ripam Albis est, in qua vitam transegit vidua, obiit Calend. Febr. Boëmus duxit Constantiam, Belæ III. regis vngariae filiam.

## M C C X I I I.

Bruno II. præsul, templum diuæ Mariæ in oppido, monachis Afranis regendum tradit. Pastores improbi sunt, qui munus docendi egentibus mercenarijs committunt. Idem templum Budissinense ad Sueum fluuium fundauit, & cum Premislao rege Boemia negotium de finibus inter Budissinam & Zagostam transigit.

Pastores  
mali,

## M C C X V I I I.

Erat Mocco quidam primæ inter Vandalo[n] nobilitatis, à quo oppidum Iocherimum, & arx Stolpena possidebantur, qui cùm suorum animos iniurijs alienasset, inclinare ad præsulem Misnensem cœperunt, qui primum præfecturam Stolpenensem à Moccione redemit, postea totam eius ditionem comparauit.

## M C C X I X.

Mors mi-  
sera.

Vilhelmus patria Torganus, abbas Veterocellensis,  
Albin nauicula traiecturus, cum aliquot monachis &  
ministris mergitur.

## M C C X X I I .

Princeps  
infelix.

Obit Ditericus Marchio Misnensis filiorum quinque  
& trium filiarum parens: sed unus filius tantum superstes  
mansit Henricus, primus Landgravius Turingiae. In-  
felix propter fratrem, qui illum in exilium egit: & pro-  
pter Henricum vi. Imp. qui ei propter metalla insidia-  
tus est. Filiorum mortuorum nomina sunt Ditericus,  
Otho, Conradus, Henricus i. præpositus Misnensis, &  
Henricus ii. Landgravius: filiarum, Iutta, Heduigis,  
Sophia, quæ puellæ moriuntur, primæ nomen exprimi-  
tur in monumentis Misnensibus, ultimæ in Lauterbergijs,  
mediæ in Originibus, Iutta obit i i i. Idus Junij. Sophia  
x v i. Calendas Aprilis: tempora annorum non sunt an-  
notata.

Incendiū. Vrbs Misna x. Cal. Sept. igne tota consumitur, vt est  
in Annalibus Lauterbergi.

## M C C X X I I I .

Bruno præfus & Ludgerus abbas Cellensis de agris  
contendunt: arbitri sunt, Ludouicus Turingiae Landgra-  
vius, Engelhardus Numburganus, Conradus Hildeshe-  
mius præfuses.

Scharfen-  
bergum me-  
tallum.

## M C C X X V .

Venæ metalli Scharfenbergi inuentæ atque effosse  
sunt,

sunt , argenti & plumbi feraces , supra Misnam uno ad  
ortum milliariorum . Coluntur adhuc nostris temporibus ,  
estq; locus sub ditione familiae Milticiae . Hoc anno desi-  
nit Chronicum Conradi presbyteri Lauterbergij seu  
montis Sereni , anno Friderici i i . Imperatoris decimo  
quarto .

## M C C X X I X .

Bruno ii . audis Ecclesiae bonis & ditione propagata  
prid . Non . Decemb . obiit , anno sessionis vigesimo .

## M C C X X X .

Henricus declaratur praeful . Hic quasdam donatio- Henricus  
nes ab Othono Henrici Burggrauij Donensis filio , capite praeful .  
punito accepit , permisu Hippolyti , cancellarij Vladislai ,  
regis Boemiae . Idem ius obtinuit in metallis , quæcunq;  
in fundo Ecclesiastico foderentur : diploma Friderici ii .  
Imp . scriptum ad portum Naonis , in Carnia .

Circa hæc tempora iniuria sacerdotum & negligentia  
in docendo excitauit alios duos mendicantium ordines  
Heremitarum & Seruorum Mariae .

## M C C X X X V .

Decano Misnensi & præposito Magdeburgio com-  
mittitur causa inter praefulem Mersburgium Fridericum ,  
& abbatem Peganum , quæ ab Innocentio iii . deuoluta  
ad Gregorium ix . quod praeful fundos spoliaret , & im-  
munitates abbati adimeret . Cuius controuersia mentio  
in Decretalib . lib . 1 . cap . 5 . Tit . 43 . & lib . 2 . cap . 15 . Tit .  
39 . vbi monasterij nomen depravatè scriptum est . Vtraq;  
constitutio sic habet .

GREGORIVS IX. PRAEPOSITO  
 SANCTAE M. MAGDEBURGEN.  
 ET DECANO MISNEN.

Cùm bona memoriae: & infra. Cùm acta originalia dicantur apud priores iudices remansisse, mandamus quatenus ea cum omni diligentia requirentes, ipsa si potuerint inueniri, & si quæ partes duxerint legitimè proponenda, in scriptis redacta ad nostram præ. remittatis. Alioqui cùm non reuocetur in dubium de contestatione litis, super statu Pegauiensis monasterij, & quibusdam spoliationibus contra Abbatem eius factis, à Mersburgense Episcopo, recipiatis partium probationes de nouo, audientes, si partes audire voluerint de compositione tractatum, tam quod super hoc inuenieritis, quam causam sufficienter instruetam, ad nos remittere procuretis.

Eandem controuersiam multos ante annos agitatam è libro 1. apparet Tit. x l i i i . De arbitris cap. v. vt declarant hæc verba.

INNOCENTIVS III. ABBATI ET  
 CONVENTVI DE PEGAVIA.

Super controuersijs quæ inter te, & Mersburgensem Episcopum, & quosdam tuos monachos vertebantur, te promisisti arbitrium Magdeburgensis Archiepiscopi seruaturum: & infra. Quia legitimè constitit, quod fide hinc inde data, compromissum est in Archiepiscopum memoratum, nos arbitrium ab ipso prolatum, decernimus obseruandum, illis duntaxat capitulis exceptis, quæ contra libertatem ipsius monasterij, & duarum capellarum, eiusdem in arbitrio sunt expressa: Cùm etsi sponte volueris, de iure tamen nequiuferis sine licentia Romani Pontificis renunciare privilegijs vel indul-

indulgentijs libertatis, quæ monasterium illud indicant ad ius & proprietatem Ro. Ecc. pertinere.

## M C C X X X V I.

Definit Chronicum cœnobij Pegani anno Friderici  
Hiems in-  
II. Imp. 25. Hiems calida, quæ vltra sedecim dies glacia- sueta.  
les non habuit. Tonitrua audita vi. Cal. Febr. & vi.  
Id. Martij. Meminit eiusdem supplementum Lamberti.

## M C C X X X I X.

Obit Henricus præsul, v. Cal. Iunij & in magna fa-  
ctionum dimicione præsul proclamatur Conradus I. Conradus  
Hic de limitibus Vurcinæ, deq[ue] decimis in Lusatia & vrbe  
Misna contendit cum Henrico Marchione: sed concordia  
inter ipsos sancta semel, violata postea non est. Huius  
præsulis & Henrici Misnensis Marchionis voluntate am-  
pliatum est pomærium Afranum. Eiusdem arbitrio inter  
præpositum, & canonicos Lauterbergios, iurgia sunt  
composita. Confirmationem priuilegij de finibus ditio-  
nis Budissinensis à rege Vuenceslao impetravit.

I. præsul.

Contro-  
uersia.

## M C C X L.

Dicatum Lipsiæ cœnobium Paulinum, præsentibus  
antistite Magdeburgio, item præsulibus Rodolpho Mers-  
burgio, Engilhardo Numburgano, Conrado Misnense.  
Hoc cœnobium nostris temporibus dux illustriss. Saxonie  
Mauricius ad Academiam adiunxit.

Venceslaus rex Boëmiae & Cunegundis eius vxor, sacer-  
doti sibi à sacris ex vrbe Misna nato sumptus constituant  
annuos: cui donationi Vladislau regis filius consensit.

M C C X L I.

Eclipsis solis, pridie Nonas Octob.

M C C X L V I.

Innocentius Episcopus, seruus seruorum Dei, venerabili fratri Magdeburgensi Episcopo, & dilecto filio praeposito Seburgensi.

Dilecti filij, Misnenses suam nobis transmisere queralam, quod Burggrauius de Donin, ipsos quadam possessione ad suam Ecclesiam pertinente, spoliavit iniuste, castrum ibidem aedificare presumens. Ideoque discretioni vestra per apostolica scripta mandamus, quatenus prafatum Burggrauium, ut ablata restituat, conquerentibus, vel exhibeat iusticiam coram vobis, monitione praemissa per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Testes autem qui nominati fuerint, si se gratia, vel odio, vel timore subtraxerint, per eandem distinctionem, appellatione postposita compellatis, veritati testimonii prohibere. Nullis literis veritati & iusticiae pra*judicantibus*, si quæ apparuerint à sede apostolica impetratae. Quod si ambo his exequendis nequiveritis interesse, tu frater Archiepiscope, ea nihilo minus exequaris. Datæ Lateran. 4. Non. Iunij anno Pontificatus nostri 1111.

M C C L V I I.

E viuis excedit Conradus I. præsul, pridie Epiphaniæ seu (ut alij vocant) Theophaniæ. In eius sedem asciscitur Albertus II. Vurcinensis præpositus, Theologiae doctor, genere Motzanus, ætate atque moribus maturus, qui à quinque tantum Canonicis Non. Febr. eligitur, cum alij concordare nullo modo possent.

Albertus  
II. præsul.

Peragra-

## M C C L X .

Peragrabant Misniam homines quidam famelici, quos Isidorus appellat, Circumcelliones, qui religionis causa ipsi se flagellis lacerabant, hos è sua omni diœcesi præful hic expulit. Incedebant seminudi, iniecta veste rubea, fortaſſe simili illi, quæ voce Hispanica dicebatur olim armilaſa, non ignota Paulino Nolano ad Sulpitium.

Flagellis  
ri.

## M C C L X I .

Idem præful schola cathedrali primus succentorem, vt vocant, dedit, qui studio Musico & ritibus Ecclesiasticis pueros institueret. Idem arcem Mogellanam, dictam Rugetalam ædificat, quam collapsam vetustate, nunc instituit reparare Iohan. ix.

Succentor  
datus Eccl.

## M C C L X I I .

Obit Constantia Leopoldi Austriæ ducis filia Nonis Iulij, vxor Henrici Marchionis, in Cella sepulta.

Hugo Vuolckenbergius consanguineus Henrici præfus Mersburgij, mouit controuersiam Alberto Misnenſi: arbitri dati Mersburgius præful, & Albertus Burggrauius Aldenburgius.

## M C C L X I I I .

Cometa visus in orientali plaga, ante ortum diei, cursu veloci tendens versus meridiem, durauit ultra dies quadraginta. Eodem anno in Decembri, diebus Iduum pluuiæ ingentes, & inundationes aquarum. Meinherus Burggrauius, vxor Dobriga: amborum filij Meinherus, Iohannes, Bouslaus, Bernhardus, hoc tempore referuntur.

Cometa.

Burggra-  
uuii.

M C C L X V.

Ludi eque  
stres.

Henricus Marchio cognomento Munificus , postea etiam Landgrauius Turingiae , ludos equestres in hac urbe apparatu splendido facit : in certamine viri quidam nobiles hastis traiiciuntur , è vulgo homines aliquot calore ac pulueribus extinguntur , vt Chronica Saxonum memorant. Idem leges promulgat eodem anno , quibus in dictione Mishense Iudæi vterentur , quos ad finem huius libri addere , non visum est incommodeum.

N O S H E N R I C V S D E I G R A T I A  
M I S N E N S I S E T O R I E N T A L I S  
M A R C H I O .

Vniuersis præsentem literam inspecturis , propter dictas traditæ Leges Iudeis uersos quæstionum articulos , qui super iure Iudeorum sèpius proponuntur , nos iura ipsorum quibus eos in terra nostra vti volumus , pariter & gaudere , præsenti litera duximus exprimenda.

Debita.

Si Iudeus contestari voluerit super Christiano , de debito , vel de alia causa , contestari debet cum duobus Christianis , & uno Iudeo , veracibus & bonæ famæ , Christianis iurantibus suo more , & Iudeo iurante in suo libro.

Si Christianus contestari voluerit super Iudeo , de debito , vel de alia causa , contestari debet cum duobus Iudeis , & uno Christiano veracibus & bonæ famæ.

Nullus Iudeus tenetur respondere coram alio , quam suo iudice , quem nos dederimus eisdem.

Pignora.

Omne pignus quodcumq; fuerit , potest Iudeus accipere , sine adductione testium , exceptis præparamentis , & alijs rebus Ecclesiistarum , quas semper debent accipere cum adhibitione testium , duorum Christianorum , & unus Iudæi , qui sint bonæ famæ.

Omne

Omne pignus quod Iudæus acceperit, si de eo tanquam de furto Christianus aliquis impetierit, Iudæus potius obtinebit cum iuramento, quod in pignore acceperat, quam Christianus id auferat cum iuramento. Sin Iudæus super hac re testes habere poterit, non erit necessarium quod iuret, propter præparamenta, ornatus, & res Ecclesiarum, de quibus si Iudæus conuentus fuerit, Vuaranda randatores suos abducere debet, vel testes duos Christia- tor.

Si Iudæus de rebus Ecclesiarum conuentus, se habere negauerit, & postea sub eo inuenta fuerint, perdet res ipsas, & denarios accommodatos, & iudicio suo vadiabit: aliud incommodum, aut aliam pœnam non sustinebit.

Si Christianus equum Iudeo in pignore posuerit, & postmodum extra suam vuarandiam alius sub eo reperit, eundem equum, si Iudæus vuarandiam habere poterit, vel contestatores positis pignoribus, equum retinebit: sin minus, equum perdet, & aliud damnum non sustinebit. Si infra vuarandiam non repetitus fuerit, nec impetus, Iudæus obtinebit cum iuramento, vel testibus, quod idem equus sit sibi impigneratus.

Si Christianus cum nuncio iudicis Iudeorum, de re sibi ablata, interrogauerit scholis, & Iudeorum communitatibus, si aliquis habuerit, & non recognouerit, & postea sub eo inuenta fuerit, rem ipsam perdet, & denarios accommodatos, & iudicio suo vadiabit, aliud damnum non sustinebit.

Si Iudæus pignus positum perdiderit cum alijs rebus suis, per ignem vel per furtum, vel per violentam rapinam, & hoc contestatus fuerit cum iuramento in libro, vel veracibus hominibus, pignus perditum soluere non tenetur. Sed si Christianus, qui pignus posuerat, veniens ad Iudæum argentum suum tulerit, & ponderatum exhibuerit,

buerit, repetens pignus, quod posuerat à Iudæo: super hoc testes videlicet duos Iudæos, & vnum Christianum, veraces addens, & Iudæus non reddiderit, ab ea die, vsura non accrescit, & si postea Iudæus idem pignus perdiderit, igne, vel furto, vel quocunq; modo, tenetur Christiano soluere ad iusticiam sub iuramento, restituturus illud, in quo pignus erat melius, quam summa accommodata, & vsura.

Si autem Iudæus sequenti die, vel quocunq; die postea venerit ad Christianum, & pignus idem exhibuerit ad redimendum, sub testimonio duorum Christianorum & viuis Iudæi, & ille non redemerit, & si postmodum Iudæus perdiderit eidem pignus, igne vel furto, vel violentia rapina cum alijs rebus suis, non tenebitur soluere Christiano.

Si conquestus fuerit Christianus de Iudæo corā Imperatore, & si Iudæus tenetur vadiare, vadiabit marcam auri.

Item si coram nobis conquestus fuerit Christianus de Iudæo, & si Iudæus vadiare tenetur, vadiabit similiter marcam auri.

Si coram Camerario nostro iudice erit conuentus, vadiare tenetur, vadiabit marcam denariorum.

Coram quocunque alio inferiore iudice, si conuentus vadiare tenetur, vadiabit libram piperis.

Item quicunq; contra Iudæum habet aliquid quæstionis, debet coram suo iudice, qui pro tempore fuerit, ipsum, & apud scholas, vbi ipsorum causæ tractantur, conuenire, & iusticiam accipere applicatam.

Cæterum si qua difficultas quæstionum orta fuerit, contra Iudæum aliquem, quæ superius non est expressa, illam specialiter nostræ definitioni duximus reseruandam. Ne autem super ijs vñquam dubium oriatur, præsentes literas conscribi fecimus, & sigilli nostri patrocinio roborari. Testes huius sunt, nobissimus vir

Herma-

Hermanus de Lobdeburg.

Iohannes Burggrauius de Vuetin.

Vuitigo Præpositus.

Albertus Dapifer de Brene.

Henricus Camerarius de Gnanenstein.

Vlricus de Maltitz, & alij quam plures.

*Has leges Iudeis latae, mihi ex antiquo codice describendas  
dedit optimus & ornatissimus vir Valentinus Graius, Senator  
& Decumanus Fribergius, summa fide officij & benevolentie  
præditus.*

GEOR-

116 ANNUAL. VRBIS MISNAE

# GEOR. FABRICII CHEMNICENSIS

## Annalium urbis Misnæ

### L I B E R . II.

ANNO A N A T O C H R I S T O  
S E R V A T O R E

M C C L X V I .

PRAESULE Alberto ad vii. Cal. Maij defuncto , &  
Budissinæ sepulto , succedit præpositus Vurcinensis &  
(ut Lamberti supplementum ) Northusianus , & Erfurdianus  
Canonicus , nomine Vuitigo , de generosa Camenitiorum  
familia , castris aptior , quam quieti : primus enim  
a maiorum suorum moderatione discessit . Cum Henrico  
Marchione Misnense , de metalli Scharffenbergij decimis  
litigat , quam causam rex Boëmiae Vuenceslaus , Henrici  
affinis componit .

Vuitigo I.  
præsul.

M C C L X V I I .

Agnes Boëmica Henrici Marchionis Misnensis prima  
Vifio An-  
geli. vxor , cùm ægrotaret morbo graui , vidi in somnis Ange-  
lum , de poculo aureo sibi propinan tem : quod cùm de  
manu eius accepisset , atque gustasset , Heu quam Amara ,  
inquit , potio . Cui angelus , Amara quidem certè , sed mox  
ingens dulcedo consequetur , quia mitigabit illam amari-  
ciem Dominus . Hoc somnium , cùm Principi suo retu-  
lisset , paulò pòst obiit , Idib. Sept. in cœnobio Veterocel-  
lense sepulta . Hæc è Chronico Isenacense .

Fames

## M C C L X X I.

Fames durauit per triennium , cuius & Siffridus meminit , & Lamberti supplementum .

Fames triennii.

## M C C L X X I I.

Conuentus indictus Budissinam , in quo Brandeburgij Iohannes , Otho , Conradus , fratres Marchiones , per arbitros litem diremerunt cum præsule Misnense , propter eas villas , quas rex Boemiae præsuli ademerat , & maioribus Marchionum dederat , estq; satisfactum voluntati præsulis .

## M C C L X X V I.

Fluminum inundatio passim agros & villas perdidit , & ( vt nonnulli scribunt ) montes destruxit , ipso mense Augusto . Meminit eius eluisionis Ditericus Engelhusius , & pontes maximos fractos recenset Traiectinum , Francofurtianum , Heidelbergum .

Inundatio.

Canonici satisfecerunt Hebrais , & fœnore sumptam pecuniam , tempore caritatis , soluerunt pro ciuibus , nempe mille quingentos & sexaginta florenos .

Liberali-  
tas.

Eodem anno Ditericus Marchio Mishensis grassatores è nobilitate & vulgo , quatuor & triginta , capitis pœna affici imperat .

Supplici-  
um grassato-  
rum.

## M C C L X X X I I I.

Hic annus , insignis obitu aliquot virorum generosorum Diterici Marchionis Lansbergij , Alberti comitis Orlemundani , Othonis Vinariensis , Henrici Suarceburgij , Alberti Glichenensis .

Meinhe-

## M C C L X X X V .

Meinherus Burgrauius Misnae pomærium ampliat,  
& mœnibus Afranum includit cœnobium, permisso Leo-  
nis præpositi.

## M C C L X X X V I .

Synodus  
Numburgia.

Bruno præfus Numburganus, cum Vuitigone Mil-  
nense & Henrico Mersburgio agit conuentum: in quo de-  
cretum Honorij v. Pontificis promulgatur, contra eos,  
qui bona Ecclesiastica alienarent aut diriperent. Bruno-  
nis valuit præ alijs auctoritas, quia è comitibus Quern-  
furdi natus fuit, & prudentia atque eruditione plus  
potuit.

## M C C L X X X V I I .

Henricus Marchio Misnensis, primus Turingia Land-  
gravius, princeps magnanimitate, gloria, diuitijs potens,  
obit Dresdæ x v. Febr. inde Misna sifstir, donec sacra  
solita fierent, postea in cœnobio Veterocellense tumula-  
tur. Fuit hic Princeps trigamus, vxores enim habuit  
Constantiam Austriacam, Agnetem Boëmam, & Eliza-  
betham Misnensem: in liberis infelix, propter Albertum,  
cognominatum Degenerem: qui & fratrem odio prose-  
cutus est, & erga filios proprios animum exuit paternum.

## M C C X C .

Comitia  
Erfurdiana.

Comitijs Erfurdianis, quæ Rodolphus rex Romano-  
rum indixerat, harum terrarum præfules interfuerunt:  
item Albertus Landgravius cum Friderico & Dicemano  
filijs, & Fridericus Marchio Misnensis. In ijsdem comi-  
tijs

tijs trabibus cuiusdam domus fractis , Fridericus comes Auenbergensis , Henricus Stuarceburius , Germanus Zigenhanius , Bellingerus Mellingus , Burchardus præfектus Vuartbergius , morte miserabili interierunt.

Eodem anno præsul Vuitigo sera ductus pœnitentia , quod dicēsim suam bello exhauserat in Lusatia , cœnobium Mariæstellam , duobus à Budissina milliaribus condit , cuius procriptionem , ob formam religionis , committit abbati Veterocellenſi .

Hoc tempore , eiusmodi inscriptionem legimus , Vuen- ceslaus Dei gratia rex Boëmia , dux Cracouie & Sando- meriae , Marchio Morauiae , S. Ro. Imperij per terras Mis- nensem , Orientalem & Pleisensem vicarius generalis .

### M C C X C I .

Vuitigo præsul cum Friderico Diterici Marchionis , cognomento sapientis , filio , bellum inauspicatum gerit , quem cùm ab obsidione oppidi Pirnæ præsul primum re- pelleret , adolescens Princeps factus irritationis , copias in- staurat , Pirnam expugnat , Dresden capit , Scharfenber- gum occupat . Præsul cùm quod se tutò reciperet , præsi- dium non haberet , ad Vuernerum antistitem Mogunti- num confugit . Interea & arx Stolpena illi eripitur . Tan- dem Henrici Mersburgij , & Brunonis Numburgani pa- trociinijs vix efficit , vt in sedem pristinam restituatur .

Eodem anno idem Marchio , qui tum Suselicij habi- tabat , delectatus venationibus , cùm forte laſsus Hirſtei sublatus ve- nam , arcem ad Albim sitam , venisset , toxicō in cerasis neno , dato , de vita tollitur . Suselicij conditus iuxta patrem .

### M C C X C I I .

Inter fratres Marchiones Misnenses Fridericum & Dice manum ,

manum , & inter Iohannem Brandenburgium , qui ter vi-  
etus prælio , conditiones pacis quereret , controuersia  
in hoc oppido componitur . Eberhardus Anhaltinus è  
vinculis dimittitur .

## M C C X C I I I.

Bernhar-  
dus præsul.

Vuitigo post damna multa collegio illata , anno sessio-  
nis septimo & vigesimo moritur , 11. Non. Martij . Ei suc-  
cedit Bernardus Misnensis præpositus , ex eadem Came-  
niorum gente , vt quidam annotarunt . Hic senex ad-  
modum , cum viro inquieto , & ad egestatem redacto suc-  
cederet , difficiorem & magis onerosam habuit functio-  
nem . In initio , controuersia inter ipsum & Fridericum  
Marchionem ac Palatinum Saxoniae fuit , quæ bonis  
conditionibus sedata .

## M C C X C I I I.

Frigus.

Magna frigorum vis extitit , & in exercitu Adolphi ,  
qui Fribergi hiemabat , plurimi tabe & inedia confecti  
extinguuntur .

## M C C X C V.

Marchionem Fridericum integerimum , & valde af-  
flictum Principem , Engelhusius scribit expulisse præsulem  
Misnensem & canonicos , & è templo cathedrali fecisse  
horreum , quam calumniam ortam arbitror ex aula A-  
adolphi regis Romani , qui maxime hostili in Misnenses  
animo fuit , & suæ cupiditatis ac violentiæ voluit extare  
prætextus aliquot in vulgus , cur patris Friderici iniusti &  
inhumani Principis voluntatem exequeretur . Vnde for-  
tasse talia per eius militem sparsa sunt figmenta : nec reti-  
cuissent

cuisser illam prophanitatem annales cæteri, cùm ne minima quidem contumelia in sacerdotes sint silentio prætermissa, quales ipsius fuerunt Adolphi, de quo ista tradita,

*Mactauit clerros flentes, templiq; clientes,  
Virgineum violans cætum, quod non fuit æquum.  
Aras destruxit, plebs ergo plurima luxit.  
Traxit ab ecclesiis mulieres, dans sceleratis,  
Vestibus exutas, & misit currere nudas. & alia indig-  
niora, quæ in Chronico Lipsiense legimus.*

## M C C X C V I.

Adolpho regi Romanorum arx & vrbs Misnia, post captum Fribergum tradita deditione sunt, vt scribit Siffridus Misnensis presbyter, qui hac ipsa tempestate vixit. Præfectus vrbi datur Siffridus comes Anhaltinus. In provincia Misnense & Orientali vicarium regis agit Henricus Adolpho regis <sup>Misnia sub</sup> comes Nassæensis, vt monumenta diplomatum Misnen- <sup>ge.</sup> sium testantur.

## M C C X C I X.

Bernardus præsul obit v. Idus Octob. qui ad instaurandas seruandasq; suæ dioecesis reliquias, oppidum Pirnam regi Vuencelao, Dresdam Henrico Marchioni vendidit. Literæ Alberti 1. Regis venditionem comprobantes, Noribergæ sunt scriptæ. In locum demortui præsulis declaratur Albertus 111. præpositus Misnensis, è generosa comitum Leishniorum familia. Arcem Stol- penam hic recuperauit. Obit eodem anno Henricus Mar- chio Alberti Landgrajij filius, qui Aldenburgi habitauit: sepelitur in Veterocella, & ibidem Fridericus eius filius reconditus.

## M C C C.

Osterhil-  
dis.

Osterhildis sacerdos S. Crucis, quæ exemplum appellatur sanctitatis, v i i. Cal. April. obit. Hoc anno primum celebratio Iubilæi Romæ instituta fuit.

## M C C C I I.

Adolphus  
rex occisus.

Adolpho rege occiso, succedit Albertus, ad quem Papa scribit, Occidisti & possedisti, & quia erat Cocles addidit, Imperatorem oportere Argum esse. Hic bella Adolphi in Misnia acriter continuavit. De quo extant hirithmi,

*Post annos domini duo sunt & mille trecenti,  
Albertus Dux Australis, prostravit Adolphum,  
Regem Romanum, regno successit eidem.*

## M C C C I I I.

Litteræ sequentes, mandato Principis, & præfulis permisso, ad valuam basilicæ appensæ sunt, de puerō in Turingia à Iudeis miserabiliter occiso.

De puerō  
a Iudeis occi-  
sō.

Nos Fridericus, Dei gratia, Misnensis & Orientalis Marchio, tenore præsentium recognoscimus, publice protestando, quod dum à carissimo parente nostro, D. Alberto, Turingiæ Landgratio, de arce Vuartberg, in celebre oppidulum nostrum Vuisenham mitteremur, ea quæ de passione boni & innocui pueri Conradi, iam passim diuulgabantur per scrutaturi: inuenimus beatum ephebum, in vinearum custodiario iacentem, aspectu quidem non nimis horribilem, sed amoenum & incundum. Quædam enim maculæ albæ, & rufulæ in facie eius, & pectore tenerimo apparebant. Ad hæc omnia corporis membra, tam maiora quam minora, adeò flexibilia, ac si viueret, existebant. Præterea sub singulis vnguisbus digitorum, & manuum, & pedum cicatrices vulnerum videbantur: qua fa-

rinæ

rīna pasta, obturata & oblita erant: vt oculi intuentium facilius fraudarentur. Cæterum cùm corpusculum ipsum ad ædēm beati Petri, oppidi modò dicti, honorificè delatum esset: vidimus claudum quendam, gressum, intercessione felicissimi adolescentis, recipere. Insuper relatione multorum prudentum ac discretorum vtriusque status vi- rorum didicimus, plurima signa & miracula ibidem per felicis pueri ossa, diuina clementia perpetrata. Hæc bona fide contigisse omnia protestamur. Ad quæ quidem ad vnguem exploranda, mandato & iussu parentis nostri pi- entissimi præscripti, obstricti, & inducti sumus. In quo- rum omnium testimonium & munimentum sigillum no- strum præsentibus est appresum, xii Calend. Sept. Anno à natali Christi m. cccc. iii. Simile quiddam legitur de puerō Bacherachensi & Tridentino.

## M C C C V I I I.

Hermanus & Henricus comites Orlemundani, Fride- rici Turingiæ Landgrauij sorotij nominantur.

## M C C C X I.

Pluuiæ corruperunt grama, segetes, vineta: secuta famæ & pestis.

## M C C C X I I.

Albertus ii. præfus obit v. Non. Martij. Eius pon- tificatus, intra annos tredecim, publicis calamitatib. mul- tis extit insignis. Adolphus Romanorum rex ferro ne- Mala pub- lica.  
tinguitur veneno. Sueci ceduntur ad oppidum Luccam in Osterlandia, Bolislaus rex Boëmiæ à Iohanne Botelstenio dormiens interficitur. Albertus Imp. occiditur à patreuele in naui, Rhenū transiturus. Dicemanus Marchio Misnensis

Lipsiæ in templo obtruncatur. Philippus Nassænsis Romanorum regis frater transfigitur in prælio , Fridericus Turingiæ Landgrauius ad Hanam capit. Tempestate imbrium pereunt segetes , lue pestis intereunt homines, bellis multæ vastantur regiones. Alberto defuncto præsul Vilhelmus succedit , à quibusdam omisso, fortasse quia designatus tantum fuit , aut munus alterius obiuit vicarium , aut bellorum tumultu non potuit frui possessione libera. In libellis duarum donationum nomen ipsius inueni , quod in vulgaribus Catalogis non legitur. Vilhemum sequitur Vuitigo II. Othonis Burggrauij Leisnicij frater, Decanus Misnensis.

Vilhelmus  
præsul.

Vuitigo  
II præsul.

## M C C C X I I I .

Hermanus Burggrauius Misnensis memoratur : eius filij Meinherus & Albertus, & Vuitigo Decanus Misnensis, amborum adolescentum auunculus.

## M C C C X I I I I .

De hoc anno rithmus ait antiquus,  
Cruciferi. *Iabant cruciferi clypeis habituq; seueri.* Erant homines vagi , crucis portantes manibus , & clypeos de humeris, & induiti loricis ferreis. Vnde bant eleemosynis, & desidiam monachorum carpebant.

## M C C C X V .

Marchio  
in bello op-  
petit.

Fridericus Marchio cognomento Claudus , Friderici Fortis Landgrauij filius , in oppugnatione arcis Zuenanæ prope Lipsiam sagitta traiicitur , & in cœnobio Veterocellense conditur Idibus Ianuarij. Hic Ruspam oppidum abbatii dedit.

Aqua-

Aquarum eluusionem & duos Cometas vnius anni fam  
mes triennis consequitur, qua multi mortales perierunt.  
Hic tamen annus postremus , difficilimus fuit, de quo  
extant rithmi eiusmodi,

Fames tri-  
ennis.

*Albani festa denarrant tristia gesta,  
Terram portentis tetigit manus omnipotentis,  
Imbris innumeris merguntur grama quaevis,  
Brutaq; cum stabulis pereunt, atque oppida villis.*

Est & vnicus versus apud Ditericum Engelhusium, cuius ex-  
trema vox , anni numerum literis continet, nempe eius-  
modi;

*Vt lateat nullum tempus famis , Ecce C V C V L L V M.*

Anno eodem post mortem Henrici V I I. Imperatoris Schismatis  
ambitus ingens fuit , & comitia turbulenta. Ludouico in imperio.  
Bauaro studebant Petrus Moguntinus , Balduinus Treu-  
rensis , & rex Boëmiae. Friderico austriaco Henricus Co-  
loniensis , Albertus Dux Saxoniæ , & Rodolphus Palati-  
nus. Ad comitia illa Vualdemarus Brandenburgius non  
venit , & vtrunque Principem lactauit modò literis, modò  
nuncijs : ipse autem conabatur Henricum patrum effer-  
re, vt in supplemento Lamberti legitur : cui non modò di-  
tionem Brandenburgiam orientalem obtulit , sed etiam  
Misniae ciuitates , quas haec tenuerat , ei possidendas  
tradere voluit. Deserto à principibus Vualdemaro Mis-  
nensis Marchio , Fridericus armis sumptis maiorum suo-  
rum bona recuperat, in Turingia, Isenacum : in terra ori-  
entali , Lipsiam , Grimam , Torgam : in Pleisense , Alde-  
burgum in Misnia , Fribergum , Misnam , Hanam , Oscha-  
cium : tum duas vrbes imperij , Zuiccam , quam condidit  
aut instaurauit Fridericus Barbarossa , Chemnicum ,  
quam Lotharius Imperator , quas ei confirmauit sacer Lu-  
douicus Bauarus Imperator.

Fridericus  
fortis.

M C C C X V I.

I 3

Fide-

Fridericus Marchio , Henrici I. Landgrauij filius , ex Elizabetha Malticia , obit Dresdæ v i i. Cal. Maij , qui per vrbem Misnam in Veterocellam deportatur , ad patria monumenta . Hic cognomine appellatus , à vehementia Clemme , quasi rigorosus .

## M C C C X I X.

Francisca-  
norum gehe-  
fisiatis in Saxonia , numero vigesimus hac transiit , pro-  
pt̄ doctrinam & nobilitatem in magno precio habitus .

## M C C C X X .

Vuitigo pr̄sul Ulrico abbati Chemnicensi auunculo suo , dignitatem archipresbyteri donat , eiq; ius parochiæ Chemnicensis assignat .

## M C C C X X I I I .

Fridericus Grauis & Elizabetha mater eius parochiam Mitbedensem subiiciunt pr̄suli Mishensi .

## M C C C X X I X .

Nascitur Friderici Grauis Turingiae Landgrauij , pri-  
mus filius Fridericus , Rochlicij , in partu matris pericu-  
loso atque diffici : moritur albatus Non. Decemb. tu-  
mulatur Misnæ .

## M C C C X X X .

Nascitur in hac yrbe Sigismundus , Friderici eiusdem  
filius secundus , qui postea successit Gebhardo pr̄suli  
Mers-

Mersburgio, vt in fragmento Chronicis Oschacensis legi.  
Ernestus hunc confundit cum altero Sigismundo primi  
Electoris filio, præsule Vurzburgio, de quo infra di-  
cetur.

## M C C C X X X I I I.

In die Lucæ Euangelistæ, vt ait Rythmologus Er-  
furdianus,

Nix fran-  
git arbores.

*Arboribus magnam dat nix inopina ruinam.*

## M C C C X X X V I I.

Copiosus prouentus frugum, vini, leguminum, fructu-  
um. Obiit Hermanus Burggrauius Misniensis vi. Calend. Copia fra-  
Nouemb. deportatus in Veterocellam, cùm ante sex dies  
obijsset Vilburgis eiusdem vxor.

## M C C C X X X V I I I.

Rufus secundum eundem Rythmologum,  
*visæ percelsa locustæ,*  
*Et veluti nubes, umbram fecere volantes*  
*Quas niue mox truce, prostrauit lux altera luce.*

## M C C C X L.

Erant inter Franciscanos quidam Enthusiastæ, qui de Enthusia-  
extremo die vaticinarentur, auctore Iohanne quodam stæ.  
De rupe scissa: sed hic in carcere detentus, usque ad diem  
quem præstiterat, sensit à dæmons se delusum, & eius af-  
fecit ad mentem redierunt. Is terror ad usque Ludouici  
Imp. aulam perusit.

## M C C C X L I I.

Eloilo.

Albis exundans xii. Cal. Aug. multos hinc inde pontes rupit, & in his Misnensem.

Lutholdus & Iohannes comites Torgani memorantur, in quadam causa præfulsi. Ipsis adempta vrbis potestas erat ab Adolpho rege, ante annos triginta septem.

## M C C C X L I I I.

Inundatio.

Albis rursus exundans i i i. Id. Martij, sustulit etiam pontem Dresdensem. Rythmologus,  
*Praxedis festo, rogo te non immemor esto,*  
*Diluuium rumpit fontes, & tres quoque pontes,*  
*Poſthac Gregori sub festo nobiliori,*  
*Undosa glacie Dresdenis pons ruit, eu, ua.*

Eodem anno Vilhelmus, dictus postea Cocles, Friderici Grauis filius, in hac vrbe nascitur x i i. Cal. Ian. post in hac idem vrbe sepelitur, vt infra referendum erit.

## M C C C X L V.

Adelheidis Schleinicia moritur, sepulta ad latus Cunemani mariti, iuxta baptisterium in æde Afrana.

Gemellus  
partus D.J.  
cissæ. Mathildis Friderici Grauis vxor, v i i. Idus August. Annam & Claram gemellas in arce Misnense parit, quas filia Beatrici Suselicensi sacerdoti tradit educandas. De alio partu gemino vnius principis in hac familia, non legi.

## M C C C X L V I.

Eadem Mathildis obit v i. Non. Iulij, in coenobio Veterocellense sepulta. Rursus id notatur rythmis huiusmodi,

Post

Post M. post tria C. post XL. bis tribus aucta,  
Sensit Salza ignem, & Misnensis Principis ensem,  
Inclita Matildis moritur, quæ Principis vxor.

Vrbs cre-  
mata.

## M C C C X L V I I .

Vuitigo II. præfus, obit V I I I . Calend. August. anno  
sessionis quinto & vigesimo, sepultus in cœnobio Crucis  
ad Albim. Eius pater, vxore consentiente mutat habi-  
tum, & fit monachus Veterocellensis: vxor eum secuta,  
etiam velamen sumit. Hic præfus Ecclesiam Misnensem,  
antecessorum negligentia, bellorum quæ in his regioni-  
bus, inter reges Romanorum & Marchiones Misnenses,  
diuturnitate admodum labefactatam, in aliquem digni-  
tatis statum reponit, ac eius auget terminos. Oppidum  
Nossam ad Muldam, inter Misnam & Henicham situm:  
Libetalam ad Albim inter Pirnam & Stolpenam ære suo  
comparat. Arcem Mogellanam instaurat, Pirnam ad  
certum tempus redimit. Decretum antiquum Gregorij  
I I I . contra aduersarios Ecclesiæ promulgat. Successor  
ei datur Iohannes I. Isenbergius.

Iohannes  
I. præfus.

## M C C C X L I X .

Hic annus aliquot calamitatibus fuit memorabilis.  
Friderici Grauis Marchionis obitu, terræmotu, peste,  
Iudæorum excidio, luporum rabie, flagellantum exilio,  
de quibus rythmis his perscriptum est,

Calamito-  
sus annus.

Pestis regnauit, plebis quoque millia stravit,  
Insolitus populus flagellat se seminudus,  
Contremuit tellus, populusq; crematur Ebraeus,  
Inclitus atque pius Princeps obiit Fridericus.

Fit terræ dominus Fridericus filius eius.

Isti plagipatidæ aut plagiferi pileos gestabant rubra insi- Flagelli-  
gnitos

gnitos cruce, incedebant tota ferè facie velata, scapulis & tergo, quibus plagas acciperent, nudati. Flagra erant ferro acuminata, aut catenis rigentia. Cùm in se vim exercent, ad terram prostrati, canebat lingua vernalcula, & alios alliciebant, quadam simulata sanctimoniaz specie. Ex eorum numero Constantinus quidam, qui se filium Dei affirmabat, seç moriturum & resurreeturum dicebat, ante gradus templi Mariani, in focum incensum in hac vrbe viuens coniicitur.

Constanti  
nus impo-  
stor.

## M C C C L.

Iubilæi  
celebratio.

Iubilæi celebratio à Gregorio x i. permissa est præfuli Misnensi, quæ ante id tempus in hac vrbe audita non fuerat. E concursu exterorum magnæ opes acquisitæ sunt, & aucti canonicorum redditus sunt in posterum.

Præfulus in  
chorea mor-  
tuus.

Eodem anno Iohannes præfulus Numburganus è Meldingia familia, suum natalem agitans, in media chorea, cùm inter duas saltaret mulieres, mortuus cōcidit. Huius fit mentio in Chronicis Magdeburgijs, & supplemento Lamberti. Desinit id ipsum supplementum in hoc anno, quod continuauit monachus Erfurianus, vsque ad Caroli 1111. Imp. annum nonum.

Ante festum Paschatis insolitæ fluminum inundationes.

## M C C C L V.

Duo Vespillones capite truncati.

## M C C C L I I I .

Meinherus & Bertholdus fratres, & Burggrauij Misnenses, comites Hartensteinij vixerunt: Ienichinus & Erenfridus Schleinicij in Afrano sepeliuntur. Pestis grassatur in cœnobijjs sanctæ crucis & Mulbergi.

Pestilen-

## M C C C L V I I I.

Pestilentia in hac vrbe grassata est,  
Bertholdus Burggrauius vitam finit mense Octobri,  
reliquo Bertholdo filio.

Pestis.

## M C C C L X .

Deciditur controversia inter præfulem Iohannem &  
Iohannem abbatem Chemnicensem , de visitatione mo-  
nasterij : abbas causa cecidit , iudicio Innocentij v 1.

## M C C C L X I I .

Fuit in opia frumenti , filigo duobus florenis empta ,  
per hanc ditionem , & vicinam.

Fames.

Eodem anno Fridericus , Baldasar , Vilhelmus fra-  
tres Landgrajj Turingiæ , à Ludouico Romano Brande-  
burgio , Marchione Palatino Rheni , & duce Bauariæ auun-  
cculo , ius patronatus acceperunt in Lubena , Archidiaco-  
natus in Lusatia , idq; obtulerunt Ecclesiam Misnensi.

## M C C C L X I I I .

Denuo vehementi peste laboratur. Obit v 1. Cal. Ian.  
Iohannes Stoius præpositus , qui propter ædificia instau-  
rata secundus fundator Afrani cœnobij , appellatus est.

Pestis.

## M C C C L X V I I .

Bolco dux Silesiæ , dominus in Furstenberg & Sueid-  
nitz , & Marchio Lusatia parochiam Lubenensem resignat  
Ecclesia Misnensi.

## M C C C L X X .

Moritur

Moritur Iohannes 1. præsul, Non. Ian. in sede eius  
 Ponitur Ditericus 111. de Goëcha familia, Misnensis De-  
 canus, & Budissinensis præpositus, qui cum pro confir-  
 matione sua, Romam ipse contenderet, morte præuen-  
 tus in via, ad possessionem non venit.

## M C C C L X X I.

Nicolaus Becherer consul Misnensis sedat controvær-  
 siam inter Canonicos & ciues.

*Amator  
furiosus.*

Amauit eo tempore adolescens puellam vicini, filiam,  
 sed ab ea contemnitur, & cum ludibrio repudiatur. A-  
 mor eius in iram versus & furorem, cum eam diebus Bac-  
 chanibus à choreis redeuntem, obuiam habuisset, fer-  
 ro eius faciem foedat, & idem mox in pectus adigit. Id  
 cum in crepusculo factum esset, fuga evasit.

## M C C C L X X I I I.

*Conradus  
II. præsul.*

*Suffraga-  
nei præsulūm  
instituti.*

Conradus II. præsul fit, de nobili familia Kirchber-  
 gia, quod in monumentis inueni: nam catalogi inter se  
 non consentiunt, & alias duas familias ponunt. Hic  
 Cotschenbrodanos & Mogellanos vineta plantare docuit,  
 & eadem transtulit in Vuartam superiorem & Gosliciam  
 pagos. Eius suffraganeus, ut vocant, fuit Franco, præsul  
 Zerosiensis. Ante hunc Franconem in Ecclesia Misnense  
 fuisse suffraganeum non legi: vnde circa hæc tempora mo-  
 rem istum institutum conijcio.

Burggrauij Misnæ Meinherus & Bertholdus, nomi-  
 nantur in quodam diplomate: & fuerunt hi duo patrue-  
 les, sub tutela Meinheri.

Conuentus Franciscanorum Misnæ habetur, saevit pe-  
 stilentia contagio.

## M C C C L X X V.

Impetrat

Imperat ab Urbano Pontifice Carolus 111. Imperator, ut antistiti Pragensi, tanquam legato apostolico subiijcerentur, Ratisbonensis, Bauenbergius, & Misnensis praesules: sed pro sua quisque parte, ne fieret, propugnauit fortiter: cumq[ue] post biennium moreretur Carolus, libertatem eorum pristinam amplius nemo mutare cogitauit.

## M C C C L X X V I I I .

Conradus praeful obit v 111. Calend. Iunij. Hunc vi-  
rum disciplinæ studiosum fuisse, inde constat, quod insti-  
tuere cœperit cum collegij emendationem, tum Ecclesia-  
rum omnium inspectionem: sed in bono & salutari cona-  
tu, non sine suspicione, morte præripitur. Post cuius  
obitum certatum in collegio est, cumq[ue] studia factionum  
magna essent, néqua pars alteri honorem deferret, ad  
homines exterorū spectarunt: alij censuerunt Pragensem,  
sedis apostolicæ legatum, alij antistitem Lubecensem euo-  
candum. Iohannes Pragensis, de Genzenstenia familia,  
Pauli filius, vir munificus, & magna grauitatis opinione,  
primas tulit, sed Misna tamen nunquam resedit: labores  
fugiens, honore contentus, & titulo.

Schisma.

Iohannes  
II. praeful.

## M C C C L X X I X .

Iohannes praeful, misit Chemnicensibus subsidium,  
quorum vrbs tota, die v 11. Auguft. noctis tempore,  
fuerat cremata.

## M C C C L X X X .

Fridericus Strenuus Marchio obit v 11. Calend. Iun.  
vltimus in Veterocella sepultus.

Præful Misnensis moritur Pragæ 111. Calend. Dec.  
& ibi-

& ibidem sepelitur. Fuit per totam Germaniam maxima  
pestilens.

Pestis.

## M C C C L X X X I.

Contentio in collegio sacerdotum, de summo gradu dignitatis, quæ aliquot annos inter nobilitatem ambitiosam durauerat, sedari nondum potuit. Id cum delatum ad Vrbanum v. i. esset, ad tollendum schisma, dedit ipsis, quem & antea destinauerat Lubecensem, cui Pragensis fuerat prælatus, Nicolaum videlicet primum. Erat is Monachus Dominicanus, Prior & lector conuentus Paulini Lipsiensis, ut scribit Crancius: tum Decanus factus Misnensis est, & postea antistes Lubecensis, pontificis (ut dictum est) autoritate. Ipse autem literis assuetis & quieti, gubernationem illam difficilem propter negotia civilia, sustinere non potuit, & se præsulatu Saxonico abdicavit. In Misnensem missus Ecclesiam, nihilo tranquilliorem habuit administrationem, nam cum Ludouicus antistes Magdeburgius, nescio quibus iniurijs lacesitus, pagos in ditione Mogellana & Vurcinense vastaret, quod in hunc diem defertur aliquot villæ testantur: præsul hic simplex exarxit, armag̃ sumens necessaria, antistitem se longè potentiorem, duobus leuibus prælijs victum ab iniuria compellit desistere, & diu Viatoris diem xiiii. Cal. Octob. in rei memoriam statuit posteris solennem. Captiuos Saxones antistiti remittit sine precio: qua modestia, & ipsum antistitem, & Fridericum Landgrauium Turingie eius fratrem, sibi placatos reddidit & amicos. Tempore eius administrationis, Ludouicus eius aduersarius, qui erat Moguntinus & Magdeburgius antistes, item Halberstadius & Bauenbergius

Præsul mi-  
litaris.  
Præsul ca-  
dens in cho-  
ea moritur.

administrator, cum in oppido Calba ad Salam fluvium, Bacchanalia ageret, & choreas duceret in loco publico, orto incendio inopinato, cum per scalas e curia euadere prope

properaret, impeditus ueste mulieris, quā manu ducebatur, gradib. ligneis ruptis, & cīciter trecentis hominibus vna cādētibus, eo casu collisus, solus expirat, vt prolixē scribit lib. 10. Metropolis suā Crancius.

## M C C C L X X X I I.

Præsul Misnensis Venceslao Romanorum regi exactiones pendit per biennium, causa literis non expressa. Idem Venceslaus Iohannem quendam doctorem Theologię, patria Germanum, in flumen Vultaham iubet coniici, qui coram rege dixerat, eum regio nomine indignum, qui regnum non didicisset aut sciret administrare: id autem fecisse suasu obscuri hominis Puchniconis præsulis. Eum Puchniconem cū auarum esse rex sciret, iussit ex æratio suo tantum auri sumere, quantum efferre posset. Lætatus ille regia munificentia, non solum tunicam amplam impleuit, sed etiam perones rusticis visitatos induit, quos cum simili modō referisset, progressurus loco, se mouere non potuit. Rex illius stulticiam irridens exui iubet, & onere illo spoliatum, à suo conspectu ejici.

Obiit Henricus Schleinicus, qui tale habet in paumento epitaphium. M C C C L X X X I I. obiit strenuus famulus Henricus de Schleinitz. Illo tempore non amplior virorum nobilium fuit titulus, quam ut strenui famuli nominarentur, quod & monumento hoc, & literis multis probari potest. Equites vero aurati, ut dicerentur, milites. Cū decrescit virtus, titulorum crescit arrogantia.

Avarus  
sacerdos.

Titulorum  
arrogantia.

## M C C C L X X X I I I.

Burchardus abbas Veterocellensis, propter inopiam bona quædam vendere præsuli Misnensi, maluit, quam ab usurarijs exhausti.

Præsul

## M C C C L X X X V.

Præsul Nicolaus obit i i i. Idus Febr. conditus in cœnobio sanctæ crucis ad ripam Albis , in sedem eius locatur  
 Iohannes III. præsul. ēnobilitate Iohannes i i i. de gente Kittelitia , dominus Baruti. Huius temporibus Antonius Veterocellensis abbas , chymiae deditus , & rerum sacrarum negligens , à suo munere depositus, redigitur in ordinem.

## M C C C X C.

Obiit x i i i. Calend. Ian. Hencelinus Schleinicius , Canonicus Afranus , in templo ibidem sepultus.

## M C C C X C I I .

Erenfridus de eadem familia in Afrano fuit præpositus , Ulricus de Maltitz ab illo secundus.

## M C C C X C I I I .

Rector  
scholæ ex e-  
ruditione in-  
dicandus.

Decretum à præsule est , vt rector scholæ ab ipso Parocho , non à Parochialibus eligatur : neq; eligatur ( vt diplomatis utr; verbis ) secundum sorteim , sed secundum artem.

Philippus quidam Alencorius Germaniam peragrat , pontificis legatus , vt inuitaret homines ad celebrandum Iubilæum.

## M C C C X C I I I I .

Incendiarij , ab Erfurianis immissi , rogo imponuntur. Albertus Burgravius Leisnicensis , dominus in Penica , & Fridericus Schonburgius , dominus in Glaucha , inter se dissident , quibus arbiter inter Ecclesiasticos datum præsul Misnensis .

Illustris

## M C C C X C V I I .

Illustris domina Catharina , Friderici cognomento  
Strenui vxor, Henrici comitis Hennebergij filia, obit Idi-  
bus Iulij. Ex hac vrbe traducta Veterocellam, & ad la-  
tus mariti ultima condita. Vidua vixit annos decem &  
septem.

*Hac Catharina cubat tumba, quæ gloria matrum,  
Illustrisq; fuit quæ studiosa viri.  
Oderat hæc luxum, nec pulchra monilia geffit,  
Indelibata simplicitatis amans.  
Prima dedit partu, primum electoris honorem  
Qui tulit, eximio præmia digna viro.*

## M C C C X C I X .

Vilhelmus 1. Marchio , cognomento Cocles , iubilæ- Vilhelminus  
um agitat permittente Bonifacio 1 x. Pontifice , Iohanne Cocles.  
111. præfule. Aucti redditus templi accessione viginti mil-  
lium aureorum.

## M C C C C .

Vilhelmi Marchionis vxor Elizabetha , Iusti ducis  
Morauiae filia , obit x 1 11. Calend. Decemb. in choro ba-  
silicæ hic sepulta. Hæc in nostris Stemmatibus , & Anna-  
libus Ludomilla nominatur , patriæ suæ fortasse nomine :  
sed lapis sepulchro impositus Elizabethæ nomen habet,  
sic enim est inscriptus. Anno Domini m c c c . cristi-  
no Elizabethæ , obiit illustris domina Elizabeth , filia  
Marchionis Morauiae , Landgravia Turingiae , vxor Vilhel-  
mi Marchionis Misnensis.

Hieme in agricultas & peregrinatores lupi sœuierunt,  
præter solitum.

Lupi.

K

Visus

## M C C C C I.

Senatores  
quatuor pu-  
niti capite.

Vifus cometa est , in fine Februarij. Inter præfectum vrbis Zuiccauiæ & Senatum , quibus de causis ignotū est, orta simulta, & consecuta contentio : quam animo adeò iniquo & iracundo tulit Dux Fridericus , vt euocatis quatuor senatoribus, Petro Mergentalio , Iohanne Ditmaro, Iohanne & Stephano Guldenijs, eos capite plecti iuberet : sepulti sunt in Afrano , sub vno lapide. Burggrauij eius temporis fuerunt Henricus & Meinherus , fratres. Præfetus vrbi Christannus Vuicelebius , cuius insignia cernuntur in fornice templi Afrani.

## M C C C C V.

Thimo  
præfus.

Prodigali-  
tas præfus.

Ropertus  
rex Roma-  
norum.

Augmen-  
tum tñuli.

Iohannes III. ætate confectus , consensu collegij, dignitatem resignat , cognato suo Decano Misnensi Thimoni , de generosa Colditiorum familia , cuius propinquus Otho gratiosus apud Duces Saxonie fuit. Cum collegio suo Thimo raro consensit, & canonicis in omnia vicia prolapsis, grauem se censem exhibuit : quos tamen nec monendo nec obiurgando , compellere ad vitæ incorruptæ & modestæ officia valuit. Ipse factus legatus Roperti Ducis Palatini , Romanorum regis , vasa aurea argenteaque aut oppignerat aut vendit : & a latronibus in via spoliatus, vim pecuniarum magnam amittit. Suffraganeum habuit Nicolaum Cathosiensem. Hic Ropertus rex, non dictus est Parvus , vt multi scribunt , & in his Cùspinianus : sed ( vt Pirnense Chronicum habet ) Herzog Klem, quasi dicas, Rigorosus, eò quòd fortiter hostes Reip. pressit, quaibz ibidem ratio additur. Clemma autem pressuram seu ɔλιψην , nostræ lingua significat. Thimone præfule ad titulum facta adiectio est, vt scriberetur, Timo Dei & apostolicæ sedis gratia, cum antea sedis apostolicæ nomine fuisset prætermissum.

Vilhel-

## M C C C V I L

Vilhelmus Marchio è viuis eripitur 1111. Idus Feb. ad latus vxoris sepultus in templo cathedrali, cum eiusmodi inscriptione. Anno Domini M C C C V I I. die Cinerum obiit illustris Princeps Vilhelmus, Marchio Misnensis, Turingiæ Landgravius, Palatinus Saxoniae. C. A. R. I. P. Dies Cimrum vocatur, proximus ab extremo ne die Bacchanalium, cùm solenni ceremonia cineres in capita hominum spargerentur.

## M C C C X.

Ventus vehemens multa destruxit ædificia x. Cal. Feb. die Felicis, qui cùm sit à suis discipulis interfactus filiis & subulis: ideo De pincis appellatum est ab Italibus eius templum. Obiit 1111. Non. Decemb. Thimo præsul, cupidior aulæ quam Ecclesiæ.

Eodem anno Iacobus quidam, ex hoc oppido natus, Pragæ in pauperū collegio professor, & ad diuum Michaëlem vrbis antiquæ concionator fuit: hūc scholæ vicinæ moderator, Petrus Dresdensis (quem Nauclerus non rectè Trecensem nominat) aggressus, è diui Pauli scriptis, & ex Dionysij ac Cypriani libris edocet, Testamentum Christi in pane vinoq; vtracq; (vt nunc loquuntur) specie, populo esse distribuendum: cumq; ritum, vt alios, veræ & veteris ecclesiæ, esse à Romanis pontificibus, impietate & flagitio corrumptum, & calicis usum populo erceptum, sine causa. Id cùm Iacobo, ipsius Christi verbis persuasisset, primus plebi Boëmicæ, iuxta Christi institutum, speciem vtranque, in diui Martini templo porrexit atque diuisit, nam ex altero templo, cùm id facere tentasset, expulsus fuerat. Huic omnes hæretici (ait Aeneas Silvius) consenserunt, quod articulum inuenisset in lege Euangelica fundatum, per quæ sedis Romanæ vel ignorantia vel nequitia argui posset.

Iacobus  
Misnensis  
professor Pra-  
gæ.

Usus sacra-  
menti sub u-  
traque spe-  
cie.

Hæc Silvius. Hæreticos autem qua fronte dicat eos, qui ipsius Christi institutum, & legem Euangelicam fundamen-  
tum habeant, ipse rationem reddet filio Dei, iudici iusto.  
Huius Iacobi non in nostris solùm Annalibus: sed etiam in  
scriptoribus Boëmicis, Polonicis, Vngaricis, Anglicis,  
Gallicis, Italicis fit mentio: ab exteris tamen Iacobellus  
per contemptū appellatur. Fuerunt tum temporis hi duo  
viri, Iacobus & Petrus, Iohannis Husi socij, quib. annume-  
rantur Hieronymus Pragensis, Iohannes Iesuitius, Stephani  
Paletius, Matthias Engeranus, Petrus Lunensis. Pe-  
trus ille rediit in Misniam, & hudi moderator fuit primum  
in patria, deinde Chemnicij & Zuccauiae. Hymnos Eccle-  
siasticos (tum introitus vocabant) de quibusdam diebus  
festis, item de natali Christi, in quibus Germanica Latinis  
mixta sunt, ipse magna ex parte composuit, qui usq; ad no-  
stra tempora in vsu fuerunt.

M C C C X I.

Rodol-  
phus pr.

Rodolphus de Plaunitz præsul eligitur vi. Idus Ianu-  
Misnæ, consecratur Numburgi. Antecessoris æs alienum  
magna ex parte soluit, & Reinersdorffum ad Ecclesiam ad-  
iungit. Praefectos & quæstores sine collegij consensu non  
recepit, nec sine eius scitu dimisit: & singulari fide redditus  
administrauit. Eius suffraganeus fuit Henricus Cathosi-  
ensis. Aulas perpetuò sectatus fuerat, antequam factus  
præsul est, utq; muneri suo vacaret præsens, persuaderi non  
potuit. Ideo cùm & absentia præfulis, & vicarij imperium  
graue collegio esset, dignitas à nobilitate rursus ad virum  
humilem, post mortem Rodolfi deuoluitur.

Prodigali  
tatis effectusPœna sce-  
lerum.

Iudæi propter varias imposturas, & stellionatū, in hac  
tota principium ditione, multantur pecunia ingenti. Ve-  
neficæ aliquot mulieres rogo imponuntur, sacrificuli earū  
usi consuetudine, in ordinem rediguntur, & sacerdotali pri-  
uantur officio.

Frideri-

## M C C C X I I .

Fridericus Placidus Friderici Bellicosi, primi postea  
Electoris filius, in hac vrbe nascitur, 1 x. Cal. Sept. In  
hac etiam vrbe tumulatus, vt suo loco dicetur.

## M C C C X I I I .

Tempestas insolita ventorum imbriumq; Non. Aug. Temper-  
secunda hora Pomeridiana oritur. In basilica duas tur-  
res, cum septem campanis deiicit: in tectis imbrices te-  
gulasq; in domibus, fenestras & valvas grando diminuit:  
in collibus & hortis arbores radicitus turbo euellit. Albis  
& Trebis extrema pontis partem sustulerunt: vici oppi-  
dani ad cœnobium vsque Franciscanum fuerunt nauiga-  
bles.

Eodem anno Rodolphus præsul obit, 1 x. Calend. Iul.  
post cuius obitum magis quam antea vñquam pugnatum  
est: nam nec collegium ferre præsulum mores, propter su-  
am nimiam licentiam, poterat: nec ipsi præsules, sacerdo-  
tum ingenia probare & audaciam. Cum igitur septem  
menses acerbis animis contendissent, tandem Iohannem  
Hofinanum, Sueidnicij in Silesia natum, Theologij in  
Lipsiense Academia professorem, & Canonicum Misuen-  
sem, suffragijs communibus nominant. Hic è numero  
Germanorum, Rector fuit ultimus Academiæ Pragensis,  
cum tumultu Hussitico, ad locum mutandum sunt com-  
pulsi. Idem cum vitæ periculo in dimicatione nocturna  
Pragæ cum aduersarijs armatis certauit.

Schismæ.

Iohannes  
III. præsul.Pragensiū  
dimicatio  
cum Germa-  
nis.

## M C C C X I I I I .

Iohannes. 111. præsul ad synodum Constantiensem  
proficiscitur, ad quos sumptus tolerandos, & oppidum  
Nossam

Nossam Henrico Oderano , abbatii Veterocellensi vendidit , & à collegio suo maiores , quām vllus maiorum , exactiones postulauit : quæ res magnæ ei inuidiæ fuit . Barones Birchij de Dauba proxime arcem Lomam in arcis Hoënsteniæ vicinia habitantes , præstulis villis sape erant molesti , quos tandem eò adegit , vt locum mutare cogentur , qui Mulbergum ad Albim emerint , quod postea ad duces redijt , stirpe Birchiorum extincta . Fuit hic præsul suorum temporum vir eruditus . Scripsit quæstiones Theologicas , cum solutionibus . Item , De officio Misæ , ad illustres Fridericum & Vilhelnum Marchiones , libros sex . Item , Commentarios in tractatum Vincentij de fine mundi : quos cùm negotijs absoluere non posset , Ioannem Melcerum , Theologum Lipsiensem , ad se euocauit Vratislauia , vt studio communi eos libros perficerent . Melcerus Stolpenæ in morbum incidit , Dresdæ inter medicorum manus obit , Pirnæ sepelitur .

*Præsul cruditus.*

*Nix.*

Eodem anno vis niuis mensē Octobri vastitatem arboribus , pondere diffractis ramis , infert .

## M C C C C X V I .

*Periculum  
in glacie.*

Merguntur in Albi duo adolescentes , qui in glacie vehiculis ossis vecti , in lacunam incident , quæ facta erat ad aquam hauriendam .

*Zigeni.*

Zigani genus hominum erroneum & maleficum , ex hac ditione propter furta , stellionatum , & libidines exterminatur , mandato Friderici Principis .

*Frigus &  
inundatio.*

Hiems tam continua & acris , vt molendinorum vsu cessante , frumentum tostum aut coctum manderetur . Amnium tanta sequitur inundatio , vt fluiminum multis in locis pontes , violentia euerterentur .

Eodem anno nascitur Grimæ Sigismundus , Friderici 1. postea Electoris filius , prid . Calen . Martij , sepelitur Milnæ , vt dicetur inferius .  
Iohan-

## M C C C X V I I.

Iohannes de Schleinitz Canonicus Misnensis, & præpositus Budisinus moritur, frater Henrici & Hugoldi Schleinicij habitantium.

## M C C C X I X.

Obit x v i. Cal. Apr. vxor Erenfridi Schleinicij Elizabetha, ad mariti latus in Afrano tumulata. Coruscationes & tonitrua v i i. Cal. Dec. secutæ pluuiæ & venti.

## M C C C C X X.

Tam calida hiems, ut die x x. Martij inciperent florere arbores: die i i i. April. etiam vineæ. Meminit eiusdem Engelhusius, cuius Chronicum hoc anno desinit.

## M C C C C X X L

Pro victoria de Boëmis ante Bruxiam parta, publicè aguntur in urbibus gratiae. Vrbi tum præfектus fuit Diticus Vuicelobius Equ. de ea eiusmodi rythmos inueni,

Victoria  
de Boëmis.

Anno milleno quadringent viceq; primo,  
Dominici præsto simul Osualdi quoque festo,  
Marchio tunc Misnae Fridericus bellat honeste,  
Qui prope Brux stravit Boemos atque fugavit:  
Plurima pars læsa, sunt & duo millia casa.  
Gloria sit Christo, pro facto iugiter isto.

Eodem anno Friderici i i. & Caroli i i i. Imperatoris constitutiones renouantur, ne quis bona Ecclesiastica inuaderet, ne sacerdotes aliena curarent, & in iudicijs versarentur. Qui raperet sacram pecuniam, triplo iniuriam penderet. Qui prophana negotia exerceret sacerdos, suo munere & dignitate priuaretur. Mandatum executus est Conradus Dux Silesæ,

Constitu-  
tiones impe-  
riales.

dominus Steinauiæ & Vuolaniaæ, Decanus Vratislaviensis,  
iudex & conseruator constitutionum imperialium.

## M C C C C X X I I .

Henricus Friderici i. mox Electoris filius, hic nascitur,  
die ascensionis Christi. Alij natum Lipsiæ scribunt, nō verè.

## M C C C C X X I I I .

Obiit Dicemanus Grunrodius, ad patris Ulrici latus  
in æde Afrana conditus. Præfectus vrbi fuit, Boso Vice-  
thumus.

## M C C C C X X I I I I .

Hugoldus Schleinicius Equ. in templo Afrano facel-  
lum extruxit. In ære circum sepulchri lapidem hæc verba  
lecta sunt,

In vigilia Iohan. ante por. Lat. quinta die mensis Maii,  
obiit strenuus miles Hugoldus de Schleinitz, amator pa-  
cis ac veritatis, fundator huius capellæ, cuius anima re-  
quiescit in pace.

Electoratus  
traditus Mar-  
chioni Mis-  
sensi. Electoris titulus ac dignitas ad Fridericum Landgra-  
uum Turingiæ, & Marchionem Misniæ transfertur, mor-  
tuis Rodolpho & Alberto fratribus Anhaltiniis.

## M C C C C X X V .

Vilhelmus ii. Friderici i. Electoris Saxoniæ frater,  
matre Catharina Hennebergia natus, moritur Misniæ, se-  
pelitur Aldenburgi, in æde Georgiana, à se fundata.

Eodem anno Vilhelmus iii. Friderici i. Electoris  
Saxoniæ filius, matre Catharina Brunsuigia nascitur  
Misniæ.

In

## M C C C X X V I.

In prælio Austiano , quod die Solsticiali æstiuo commissum est , qui ex vrbe Misna ciues missi erant , vix uno & altero superstite , cæsi sunt. Missi sunt autem præter peditatum , equites viginti. Vilhelmus III. fratris absensis legatus fuit.

Prælium  
Austianum.

## M C C C X X V I I .

Fridericus è Misnensibus Marchionibus , primus Saxoniae Elector , obit Aldenburgi Non. Ian. ibidem terræ manatur. Alij Misnae , alij Reinhardborni tumulatum , non satis prudenter tradunt. Tumba tamen ænea , quæ in sarcophago principum hic est , huiusmodi habet inscriptionem , huic principi debitam , nou filio , qui Misna sepultus est.

Error in  
monumento.

Anno Millesimo quadringentesimo x x v i i i . dominica proxima post circumcisionis obiit illustris Princeps & dominus , D. Fridericus Dux Saxonie , sacri Romani imperij Archimarschallus , Turingiae Landgravius , Marchio Misnensis , hic sepultus.

Igitur tombæ inscriptio & imago Aldenburgum deferrit debuit , quæ nescio qua negligentia filij sepulchro est imposita. Vide infra annum M C C C L X I I I .

## M C C C X X I X .

Natalibus Christi ferijs Hussitæ Misnensia suburbia & templo cremant , & ylterius progresi totam prouinciam , duce Procopio Boëmo , & Petro Malticio deuastant : equites quadringentos cedunt prope Grimmam. Hugoldus Schleinicius inter cadavera adhuc spirans , inuentus , spoliatur , & priuatur oculis.

Boëmi in  
Misniam.

## M C C C C X X X I I.

**E**lunio. Albis hoc anno bis effluit. Primò v i. Cal. Martij, alueus ad ipsum pontem ascendit: durat inundatio quadratum. Iterum Cal. August. catarrhaeta cœli totum pontem euerit, murosq; meridiem versus dejicit: durauit ea vis aquæ ad diem usque quintum. Harum inundationum mentio in Vandalia Crantij.

## M C C C C X X X I I I.

**F**ames qua-  
diennis. Solis eclipsis fuit, mense Iunio: Cometa luxit Septem-  
bre. Secuta quadriennis frumenti penuria.

Eodem anno, qui in hac vrbe natus erat, Henricus Friderici II. Electoris filius, morte tollitur, anno ætatis tertio decimo x i. Calend. Aug.

*Conditur hoc Saxo, cui mortem Dresdena, sepulchrum  
Misna dat, Henricus principe stirpe satus.  
Tollitur in cœlum, teneris extintus ab annis,  
Tristitia hic matris prima dolentis erat.  
Mortali quicquid de semine nascitur, illud  
Mortali pariter conditione perit.*

**H**iems as-  
pera. Hiems fuit magna asperitas, à die Martini usque ad conuersionis Pauli diem.

## M C C C C X X X I I I I.

**E**lunio. Iterum ripa transcendit Albus viii. Calend. Iulij, Burggrauius Misna fuit Henricus præfetus vrbi Ditericus Paccius.

## M C C C C X X X V.

**I**ncendia. Incendio multæ domus conflagrant xiiii. Cal. Iun. mox quæ reliquæ fuerant, cremantur viii. Cal. Iul.  
Ameleis

## M C C C C X X X V I.

Ameleis Friderici II. Electoris filia, Misnæ nascitur,  
quæ postea duci Bauariæ Georgio, cognomento diniti,  
data est in matrimonium.

Sigismundus Dux Saxonie v II. Calen. Martij sacro  
initiatur ordini.

Eodem anno Anna Electoris II. filia altera, hic nasci-  
tur, Non. Martij, secunda vxor Alberti Brandenburgij, ma-  
ter liberorum duodecim.

## M C C C C X X X V I I.

Vilhelmus Sternbergius x. Cal. Octob. cum multis  
Boëmis captus, à Friderico Electore II. in carcerem con-  
iicitur: Sternbergius numerata pecunia, dimittitur è cu-  
stodia Rochliciana: vulgus in carceribus perijt, detentum  
Misnæ, & alijs oppidis, per quæ distributum erat.

Concilio Basiliensi omnes eruditæ in his terris subscri-  
bunt, excepto Iohanne Cunone Theologo Lipsiense.

## M C C C C X X X V I I I.

Nobilitas Brandenburgia bello capta, quod Misnensi-  
bus mouit Marchio Fridericus, custodie in hoc oppido  
traditur, & post aliquot menses se redimit argento.

## M C C C C X X X I X.

Fridericus primogenitus Friderici II. Electoris, nasci-  
tur in hac urbe v. Calend. Septemb. qui annum ætatis at-  
tingit duodecimum.

## M C C C C X L.

Morbus

Pestis triennii.

Saeulum ducum.

Morbus popularis grassatus est toto triennio.  
 Illustrum Marchionum sepultura à cœnobio Veterocellense, in quo annos ultra ducentos durauerat, Misnam transfertur, à Friderico II. Electore. Conduntur hoc tempore in facello ad id extructo, Principes vndecim: Fridericus II. Elector fundator, cum fratre Sigismundo, præsule Vurciburgio, & cum quinq<sup>o</sup> filijs, Friderico, Alexandro, Henrico, Ernesto, Alberto: cum duobus nepotibus. Friderico Prussia magistro, & Duce Saxonie Georgio, Alberti filijs: cum totidem pronepotibus Iohanne & Friderico, filijs Georgij. Quiescunt ibidem vxores principum quatuor, Friderici II. Electoris Catharina, Henrici Ducis Brunswigij filia: Alberti Zedena Georgij regis Boemiae filia: Georgij Barbara, Casimiri filia regis Poloniae: Ameleis, Georgij Ducis Bauariae coniunx.

### M C C C C X L I .

Ernestus Dux Illustrissimus Elector, qui patri succedit, nascitur in hac vrbe VIII. Cal. April. hora nona Po-meridiana.

### M C C C C X L I I .

Catharina Henrici Ducis Brunswigij filia, Friderici II. Saxoniæ Electoris vxor, obit v. Calend. Ian. Grimmæ, conditur Misnæ. Hæc ante annos sedecim exercitum Turingicum & Misnensem, cum in Vngaria maritus Elector abesset, in Boemos collegerat, & Fribergi delectu habito, dimiserat: sed est infeliciter pugnatum.

Hic Catharina iacet, Brunswiga stirpe creata,  
 Saxonici coniunx quæ generosa Dux.  
 Consilio excellens, animi matrona virilis,  
 Zeschorum fortis mittit in arma viros,

Pro

*Pro patriaq; gerit curas , absente marito,  
Auspicio sed res illa peracta malo.*

*Hac capit optatam nunc sub tellure quietem,  
Inter honoratas maxima fama duces.*

Eodem anno vineæ corrumpuntur niue & frigoribus,  
Prid. Calend. Maij,

## M C C C C X L I I .

Domus mercatorum , in foro à nundinis dicto , iaciuntur fundamenta , consule Venceslao Segilio.

## M C C C C X L I I I .

Calend. Maij , & die sequente tanta nix fuit , vt omnia vineta corrumperet.

Albis inundatio duo iuga pontis tollit , & pontem ipsum aquis tegit , & flumen supra muros urbem introit. Inundatio.

## M C C C C X L I I I I .

Iohannes Cuno Dominicanus Lipsiæ , Theologizator , & Misnæ Sebastianus Calbius Franciscanus improbant concursum ad templum Vuelsnacense , quod est in diœcesi Hauelburgia , de quo Crancius & Sarctorius etiam scribunt. Ambo accusati apud principem , iubentur solum mutare , & è prouincijs eius excedere. Appellarunt ipsi ad suum quisque præsulem , & dicta die xxi. Septem. disputarunt Burgi , in oppido antistitis Magdeburgij. Præfuit Henricus Taço eiusdem loci Canonicus & Theologus , & Matthias Doringius , minister ordinis Minorum. Cùm decidere de sententia illa nollent , neque conuinci rationibus , aut veritate verbi diuini possent , duabus Academijs Lipsiensi & Erfurdianæ causa dijudicanda datur , hæc siase-

suaserunt non vrgendam pertinacius sententiā, quōd paucorum testimonio ea constaret, & (vt Erfuriana addidit) superstitioni non dissimilis res videretur. Scripsit eodem tempore Iohannes Vunschilburgius Silesius, de signis & miraculis falsis, & similiū recitauit imposturarum multa exempla, & adhortatus præfules est, vt vigilarent in salutem gregum suorum. Inualuit autem tantopere hæc disputatio, vt anno post hunc congressum quarto, vulgus Berolini tumultuaretur, monachorum instinctu, contra Iohannem Marchionem, & Friderici Marchionis filius contra antistitem Magdeburgium, monachorum audaciam comprobantem. Re tandem ipsa deprehensum est, rectissime sensisse eos, qui pro præstigijs Sathanæ, eum concussum hominum fanaticorum habuerunt.

Tumultus  
ob supersti-  
tionem.

## M C C C C X L V.

Albis subito inundans, prid. Idus Maij agros perdit. Eo anno Fridericus dux & Vilhelmus fratres de regionum suarum diuisione habuerunt conuentus, Vilhelmo datum negotium diuidendi, Friderico eligendi. Cum Fridericus eligeret Turingiam, frater illi cedere noluit: quæ controversia motuum plurimorum causa fuit.

## M C C C C X L V I.

Moritur illustris puer, dux Alexander, Friderici II. Electoris filius, indolis præstantiss.

*Dignus Alexandri qui nomine posset haberí,  
Heu rapitur manibus mors violenta tuis,  
Talis erat facie, forma, virtute, vigore,  
Maiorum ingenuo ferret ut ore decus.  
Sæpe cadit crescens laesis radicibus arbor,  
Virtus sæpe suum concidit ante diem.*

Misna

## M C C C X L V I I .

Misna igne conflagrat cum templis, vi. Calend. Iulij, quo tempore Vilhelmus & Fridericus fratres inter se acerbè dissidebant. Mansit solum templum & arx in monte incolumis.

Incendiū.

## M C C C X L V I I I .

Iohannes præfus & præpositus Lipsiensis, cœnobium Afranum ad instaurandam disciplinam inspiciunt. Causa erat, quod Canonicus quidam, in sacrorum primitijs, turpis-rem faciens diuinam, adeò ebrius ad aram accessit, ut preces vñstatas legere non posset.

Ebrietas.

## M C C C X L X I X .

Noua à Boëmis est in Misniam facta irruptio.

Inundatio Albis à die x x i i i. Aprilis durauit usque ad x. Maij.

Inundatio.

Tertio post solstitium æstuum die, vineæ vento & pruina corrumpuntur.

## M C C C C L .

Iubileus multorum mortalium concursu celebratur, quod ut fieret, à Nicolao v. pontifice Vilhelmus dux, & Iohannes i i i i. præfus impetrarunt.

Eodem anno tanta pestis lues, & tam valida contagio consecuta in locis multis, ut pars hominum tertia putata sit interisse. Defunctæ sunt in cœnobio sanctæ crucis Iuliana Berensteinia abbatissa, Cæcilia Hartuschia Morissa, & quarum familiæ non sunt expressæ, Benigna, Adelheidis, Beita, Kela, Iutta, Sophia, Agnes, Rixa, Mechtildis.

Pestis.

Obit

## M C C C L I.

Obit Fridericus , Friderici 11. Electoris filius , x. Cal.  
 Ian. in hac vrbe sepultus. Mater ad tumulum loquitur,  
*Vulnera terna tuli , genitrix mæstissima : natis*  
*Quæ tribus ereptis , iam viduata , gemo.*  
*Quis titulos patrios feret aut virtutis honores ?*  
*Quis seræ ætatis dulce leuamen erit ?*  
*Has tibi spargo rosas , hos flores pono sepulchro*  
*Nate tuo , supera lâte recepte domo.*  
*Cætera Christe tibi , tacita commendo querela ,*  
*Sum mater superis sedibus , orba meis.*

Eodem anno Iohannes præfus obit v i i. Cal. Aprilis  
 Casparus anno sessionis septimo & trigesimo. In eius locum Caspa-  
 rus Schonbergius Decanus succedit , Prid. Cal. Maij. Is  
 inter alios arbiter electus , cum duce Saxoniæ Vilhelmo  
 Pragam abit, quia erat de finibus inter regem Ladislaum,  
 & Fridericum Saxoniæ Electorem 11. grauis contentio.

Cusanus. Transiuit per hanc vrбem Cardinalis Nicolaus Cusa-  
 nus , suorum temporum vir doctissimus in tota philoso-  
 phia , & Theologиа professor , is missus erat , vt mores re-  
 ligiosorum & vitam inspiceret , & eos ad parendum Pon-  
 tifici Romano adhortaretur. Fuit patria Germanus. Cel-  
 tes Amorum 3.

*His ripis duxit clarus Trittemius ortum ,*  
*Et qui Cusa tuum , clara Mosella decus.*

## M C C C L I I.

Capistranus. Iohannes Capistranus Aprutius Franciscanus , per  
 Christannum Augustanum interpretem in hac vrbe , de-  
 pinna domus in foro concionabatur è regione curiæ. Al-  
 uelos , tessaras , chartasq; lusorias in ignem coniicit , pli-  
 cas & flammea , & superflua ornamenta mulierum combu-  
 rit.

rit. Verba s̄pē per duas horas fecit, interpres etiam v̄terius. Ad expeditionem contra Turcas, qui in Thraciam duxerant exercitum, animauit populum. Rediturus in Italiam, post suæ peregrinationis annum decimum quartum, moritur Villaci in Carinthia, ibidem in Franciscano nactus tumulū : vir singularis facundia, auditor Bernardi Senensis, & æqualis Roberti Caracholæ, præfulis Licensis : qui suorum temporum habiti sunt disertissimi.

## M C C C C L V.

Dimidia pars oppidi rursus incendio deflagrat xvii.  
Cal. Apr. Ex arce Aldenburgia rapiuntur die solsticiali  
æstiuo, Ernestus & Albertus Principes, à Conrado Kaufu-  
go, Vilhelmo Mosseno, & Vilhelmo Schonfelsio : Conra-  
dus gladio punitur Fribergi, qui Albertum abduxerat :  
reliqui impunitatem consequuntur ambo, qui Ernestum  
sponte reduxerunt.

Plagiarii.

## M C C C C L VI.

Pluuiæ durant à messis tempore vsque ad vindemiam,  
consecuta annonæ & vini penuria.

Fames.

## M C C C C L VII.

Sigismundus præfus Vurzburgius, in nocte natalis Chri-  
sti obit Rochlicij, inde transfertur Misnam, in sacellum,  
quod frater eius Fridericus II. Elector extruxerat.

*Sigmundus Francis dominans gladioq; stolaq;,  
Fraternum propter conditum hic tumulum.  
Ipse resignauit munus, cui viribus impar,  
Et placida ingenij simplicitate fuit.*

## M C C C C L X I I I.

L

Obit

Ditericus  
III.I.pr.

Obit Casparus præsul, prid. Cal. Ian. Misnæ sepelitur, in cuius locum frater eius præpositus Misniensis designatur Ditericus 1111. Nicolai Equ. Reinspergæ habitantis filii. Cum Diterico præsule Numburgano, eodem die insula insignitur & pèdum accipit. Hic vt superiorum temporum luxuriam corrigeret, & sacerdotes exemplo regeret, & persuadendo ad officium potius quam cogendo reducere, & suum ipse modestissimè munus fecit, & familiam amplam redegit ad paucos: tota vita vir grauissimus.

Pefcis.

Eodem anno pefcis paſſim grassatur, Moriuntur hic in Afrano, Canonici quinq. Lipsiæ à mense Augusto usq; ad Octobrem monachi Dominicani in Paulino nouem & viginti obeunt. Memorabile est, quod inter eos accidit Martino Drencigio, qui diem horamq; obitus sui præuidit: cui cum præfectus cœnobio diceret, Quid est Martine, quo speras Deum habere te propicium? Ille ait: Non cognoui literataram, quia nimis indoctus sum: sed alijs psal lentibus solitus sum aliquam partem passionis & mortis Christi meditari, & gratias illi pro munere & merito redēptionis agere: cuius memorabor iusticiæ solius. Miratus pietatem hominis archimandrita, oratione confirmauit & sperare iussit optimè, quia recordaretur iusticiæ Domini solius. Hanc historiam descripsi è libro Aegidij Misneri, docti viri, & amici veteris.

Plus vītæ  
exitus.

Eodem anno obit Iano Schleinicius Eq. die Solsticij brumalis, erat hic Friderici 11. Electoris marschallus, sepelitur in templo Afrano.

Moritur itidem Iohannes Sthenius, Afranus præpositus v i. Calend. Ianuarij.

## M C C C L X I I I .

Illustriss. Elector Fridericus 11. vitam claudit Lipsiæ  
v i i. Id. Sept. anno ætatis tertio & quinquagesimo, gubernationis

nationis sexto & trigesimo. Deportatur Misnam in facelum, quod occidentem versus, templo cathedrali ante annos viginti ipse adiuxerat. De hoc principe sic scripsit Vue

*In Christum credit, felix in pace recedit,*

Fides in  
Christum.

*Illius atque anima dux Christus, summus & in spe.*

Nostrum epitaphium, rerum eius gestarum summam, breuiter complectitur,

*Stemmatis antiqui Princeps, insignis honore*

*Ensis, hanc tumbam pace sepultus habet.*

*Ad Satiū fortī congressus marte Boēmo,*

*Te leo terribili fecit abire iuba.*

*Ille truces cogit quoque vertere terga Polonos,*

*In Brandenburgos & mouet arma duces.*

*Tum Francos superat signis felicibus hostes,*

*Cumq; suo bellum fleibile fratre gerit.*

*Amittit plagio natos recipitq; , tuetur*

*Ipse magistratum qui iubet esse, Deus.*

*Compositis placidè rebus , componitur ipse,*

*In patrioq; tenet debita busta solo.*

In tomba eius ænea , numerus anni non rectè signatus est, nam is est annus, & is dies mortis inscriptus, qui fatalis patri eius fuit. Aenea igitur tabula illa Aldenburgum fortasse mitti debuit, vbi conditus pater est, quæ postea filio imposita fuit. Hæc mutatio in Annalib. errores multos peperit.

Moritur Cal. Octob. Georgius Haubitius Friderici II. Ducis cancellarius, Decanus Mishensis, electus nuper præsul Numburganus. Eius agnatus Petrus, de eadem gente, cui succedere debebat, suo muneri præfuit annos triginta.

Præsul ele  
ctus mori-  
tur.

## M C C C L X V I .

Acerrima hiems & vis niuum fuit, adeò ut multi mortales frigoribus perierint.

Hiems  
aspera.

## M C C C L X V I I I .

Sacellum diui Wolfgangi extra portam Lomacensem inchoatur mense Aprili, à tubicina quodam, qui se eo in loco aram extructurum, voverat. Sacellum hoc dirutum est.

Obit Nicolaus Stoius præpositus Afranus, vi. Id. Iul. Mæsis humida, autumnus pluvius, vites frigore marcescunt.

## M C C C L X X .

Sacerdos-  
tes in studia  
beneficii.

Obit Nicolaus Tronitus Theologiae docttor, & Canonicus, initio mensis Ianuarij. Testamento legat Senaturi Misnensi, quinque florenos annuos, numerandos adolescenti bonæ indolis, & non neglecto in literis puerilibus, qui iudicio Decani probandus esset: factum id Cos. Nicolao Baumgartnero, & Nicolao Steinbachio. His alios quinque annuos addidit Iohannes Thilo vicarius 1533. cos. Nicolao Aneforgo, & Henrico Fausto. Moritur Catharina Berenstena in cenobio extra Albim Cal. Aprilis.

Cedes Ab-  
batis.

Iohannes Mocha abbas Veterocellensis, qui Contado Schonbergio successerat, à Meca viro nobili, in pago Rauschlicio prope Dobelam interficitur, in contentione de villæ cuiusdam redditibus.

## M C C C L X X I .

Arx Misnensis ab Alberto Saxonie Principe inchoatur, Arnoldus architectus quidam Vuestualus, eam extruit: quæ magnifica est & splendidissima.

Eodem anno inchoatum templum diui Wolfgangi extra urbem, quod dum extrueretur, Misna riuiulus i. x. Calendas Septembris, ita excrescit, ut lapides raperet è fundamentis nuper positis, & quatuor operarios perderet, horrea agricolarum prope habitantium cum

tium cum frumentis aueheret. Excreuit ex altera vrbis parte torrens Trebisa , qui prope templum diui Nicolai longurium rumpit , inde fœmina grauida delapsa submergitur.

## M C C C L X X I I .

Cometa visus per menses duos. Vberrimus fuit prouentus metalli Schnenbergij in Misnia , numerus anni hoc dicto continetur , E C C E C V I C O M E T A L V X I T .

Tanta vini copia , vt cantharus triente , hoc est , nostris nummulis quatuor emeretur.

Copia ar-  
genti.Copia ui-  
ni.

## M C C C L X X I I I .

Iohannes Mergentalius Alberti Saxoniæ Ducis cancellarius moritur , qui iter eius Palæstînum descripsit.

Fontes & riuuli siccati , vt molendina cessarent , & aquæ potabiles venderentur.

Siccitas.

## M C C C L X X I I I I .

Fons vberrimus è valle satis remota , in Afranum cœnobium ducitur , à Iohanne Deutschendorfio , præfulis vicario , qui eum testamento curauerat ducendum.

## M C C C L X X V .

Mercatus vernus , proxima ante palmarum diem dominica , ex oppido Lomacio in hanc vrbem transfertur , Principum fratrum voluntate.

## M C C C L X X V I .

Albertus dux Saxoniæ cum suo comitatu hac transiit  
L 3 iturus

iturus Romam & in Palæstinam , mense Martio.

Iohannes  
V. præful.

Præful sum  
ptuosus.

Obit Ditericus 1111. præful, pr. Id. Apr. eius successor Iohannes v. de familia Rueissenbachia , Decanus Misnensis, Doctor iuris. Is Ducum Saxonicorum, quorum erat consiliarius, & regis Boëmiae secutus aulas est. Viætu sumptuoso & structuris magnificis, æs alienum contraxit : arguento manifesto, eos qui proprij muneric curam negligunt, & aliena administrant, suis non prodesse. Cum Ernesto Electore Romam profectus, consecratur in præfulem, à Papæ Cancellario. Ernestus à Sixto 1111. rosam auream obtinet, quam templo Misnensi donat. Hic præful confirmationem Ernesti Magdeburgij antisilitis, Romæ impetrat. Idem arcem Misnae inchoat, Stolpensem & Mogellanam ædificijs ornat. Fribergense collegium introducit, & templum dedicat. Causis matrimonialibus præfectus sub eo fuit Iohannes Breitenbachius, iuris studiosus, suæ deinceps facultatis princeps seu ordinarius, & cos. Lipsiensis, vir præclarus, & auctoritate singulari præditus. Obit in Academia Francofordiana.

### M C C C L X X V I I .

Bombar-  
da.

Prima Bombarda ænea , in suburbio Dresdensi fusæ, per hanc vrbe ducitur , cum obsideretur in Hercinijs vrbs Quedelnburgum.

Moritur Barbaræ Berenstenia, præfecta penui , in cœnobio ad Albim, v 11. Calend. April.

Siccitas.

Propter calores intentissimos riui & torrentes siccantur.

### M C C C L X X V I I I .

In cœnobio modò dicto moritur Agnes Berenstenia x. Cal. Maij , quæ vicem abbatissæ gessit.

Iterum

## M C C C L X X I X.

Iterum æstas sicca , & à festo Pentecostes, usque ad diem Archangeli pluia nulla. Domum frumentariam in Afrano Nicolaus Questeuitius præpositus extruit.

Aedificatur in vrbe domus curiæ. In templo cathedrali erectæ tres turres , quas ignis postea consumpsit , anno, quo captus Elector Iohannes Fridericus, ut libro sequente exponetur.

Præfectoris vrbi fuit Georgius Reinsbergius.

## M C C C L X X X.

Institutum ab Ernesto Duce Electore est, ut in templo Misnense , diebus noctibusq ; absque intermissione distri- butis operis caneretur. Erant ad id destinati Canonici x i i i i . & totidem eorum facellani , & vicarij sexaginta plus minuscue : ex his septem , Scotti nominabantur , qui in una domo pariter habitabant , his minister erat, quem Iesum appellabant , qui minima officia exequeretur , nam quod nemo vel infimus hominum facere vellet, id Iesu imponebatur. Erant Chorales duodecim : erant à tumba Principum , dicti Grabati quindecim , quos Dux Ernestus addidit : erant ab hora nocturna octaua , appellati Octiani. Erant duo Oculi vocati , alter Decani , alter præpositi , qui chorum inspicerent , & inchoarent cantica. Hi diuisis temporibus ita alternatim suis munericibus fungebantur , ut canticis neq ; diurnum neq ; nocturnum tempus vnquam vacaret.

Perpetui  
dierum nocti  
umq ; cantus.

Iesu mi-  
nister.

## M C C C L X X X I.

In ferijs Pentecostes facta inundatio vehemens , quæ durauit triduum.

Inundatio.

## M C C C L X X X I I.

Iohannes v. præfus sacris interdixit abbatibus, Celle  
 Sacra ue. si, Buchano, Dobriluchio, propter non numeratam cer-  
 nalia. tam pecuniam: qua soluta, rursus rem diuinam facere po-  
 tuerunt.

## M C C C C L X X X I I I.

Pridie Non. Maij, Henricus Stercker quatuor Eccle-  
 siarum Canonicus, & Iurisc. obit, qui hoc sibi ponendum  
 curauit monumentum,

*Mellerstad genuit, sed Lipsia contulit artes,  
 Ins dedit & leges vrbs Perusina mihi.  
 Absumpsit febris, Henricum agnomine Stercker,  
 Misna tegit corpus, spiritus astra tenet.*

Siccitas.

Aestatis siccitatem secuta penuria, quia sata proueni-  
 re non potuerunt: Vredo etiam perdidit herbas & vineta.

Obit Hildebrandus huius vrbis Medicus peripateti-  
 cus, vt in eius tumulo lectum est.

Vrbi præfectus fuit Caspar Schonbergius Eq. qui  
 Sachsenburgi habitat.

## M C C C C L X X X I I I I.

Albertus Dux Saxonie 1111. Febr. filiam Cathari-  
 nam deducit Oenipontem, despontam Sigismundo Ath-  
 fino, Duci Austriaco. Eum secutus Iohannes v. præfus.  
 Ipsiabsentibus mense Martio obit Misna Elizabetha Ele-  
 ctoris vxor, & mense Maio eiusdem filius Albertus, anti-  
 stes Moguntinus. Elizabetha Lipsiam deducitur, & in  
 æde Paulina, in templi medio tumulatur, cui hoc scripsi-  
 mus epitaphium,

*Elizabetha decus sexus, probitate, pudore,  
 Justicia, Ernesti quæ Ducis vxor erat,  
 Quæ tumulo, à cari tumulo disiuncta mariti,  
 Sed viuens fido pectori iuncta fuit.*

Eximiae

*Eximiae prolis mater : quia dinitate partu  
Tres electores lumina clara dedit.*

Fuit enim mater Electorum Friderici 111. & Iohannis Saxonum, & Alberti Moguntini : quod humanæ felicitatis exemplum est. Felicitas partus.

## M C C C L X X X V .

Eclipsis solis , hora tertia pomeridiana x v i i . Cal. Aprilis : eam secuta pestis.

In coenobio sanctæ crucis ad Albim, moniales nouem: Mulbergi quarto inde millario , septem & viginti obierunt. Misna præpositus fuit Nicolaus Cuno , Abbatissa Agatha Berensteinia.

Habentur comitia Numburgi & Hali inter Ernestum & Albertum , de diuidendis prouincijs , quæ causa est altero demum anno Lipsiæ transfacta.

Lues con-  
tagiosa.

## M C C C L X X X V I .

Illustriss. Elector Ernestus , anno ætatis quinto & quadragesimo obit in arce Choldicia à se extructa , v i i . Cal. Sept. vesperi hora quarta. Eius agoni interfuit Albertus frater , qui funus est statim Misnam prosecutus. Ad exequias ( quas corruptè beicrustam nostri vocant , quasi prope cryptam ) venerunt filij eius tres , Ernestus antistes Magdeburgius , Fridericus & Iohannes duces. Legati item Erfurdianorum , Moguntinorum , Coloniensium. Cura funeris commissa tribus Eq. auratis , Henrico Endio , Henrico Miltio , Caspari Schonbergio , tum urbis huic præfecto. Feretrum antecedebant equi pullati quinq; , sequebantur octo , qui templo relicti sunt , ij gestabant prouinciatum subiectarum insignia. Epitaphium eius tale est,

*Ernestus pacis tranquilla maximus auctor ,*

Sepultura  
magnifica.

A pa-

*A patria atque domo depulit omne malum.  
 Arma tamen nunquam sumpsit, nisi iusta, Nariscis  
 Prima tulit, terris altera Zesche tuis.  
 Germanis etiam placidè dimouit ab oris,  
 Castra Silesiaca qui posuere solo,  
 Pannonia Matthian, & te Casimire Polonum:  
 Iste potens scutis, arcubus ille ferox,  
 Sacrificos etiam luxu & levitate rebelles,  
 Officium cogit cum pietate sequi.  
 Officijs clemens, atque integritate severus,  
 Aere sub hoc, cineres ossaq; tectus, habet.*

Morbus  
Saxonicus.

Grassatus est nouus & inauditus in his terris morbus, quem nautæ Saxonici vocant, Den Schorbock, quæ est inflammatio in membris partium carnosarum, cui quoceverius adhibetur medicina, eò citius malum restinguitur. Sin mora accedit paulò tardior, sequitur membra affecti mortificatio, quam siderationem nostri, Græci σφαγὴν dicunt, vltimum gangrenæ malum: nam caro de ossibus defluit, & continua quæq; à lue corripiuntur. Fuit idem morbus contagiosus, multorum mortaliū graui periculo.

### M C C C C L X X X V I I .

Christophorus Eccelius Decret. Doctor, Misnensis, Mersburgius, Fribergius Canonicus, Calend. Ang. Obit: è cuius agnatione Matthias Eccelius, Musicus suæ ætatis insignis, in aula Henrici Ducis Saxoniæ floruit.

Iohannes  
VI. præsul.

Iohannes v. præsul obit Calend. Nouemb. Lipsiæ, se-  
pelitur Misnæ: in eius locum eligitur Idibus, Iohannes vi.  
de familia Salhusia, Decanus Misnensis, Decret. Doctor:  
is competitorem habuit Melchiorem Mecam præpositum,  
postea præsulem Brixinensem, & Cardinalem t. S. Stephani  
in monte Cælio. Statuta Ecclesiæ Misnensis, item li-  
bros, quibus orando, legendo, cantando, sacerdotes  
vtuntur,

vtuntur, opera Vilhelmi Betschitij Canonici, & Andreæ Prolis monachi, emendandos imprimendosq; curauit, vt vel hac diligentia ad munus suum exequendum eos inuitaret.

Cura sū officiū.

Eodem anno porta à lanijs nomen habens ædificatur, mense Maio. Eodem mense arx de cœlo tangitur.

## M C C C L X X V I I .

Tumultus inter Iohannem abbatem & monachos Cellenses fuit, qui abbatem interfecissent, nisi ab Heinitio Canonico Misnenc, qui casu tum erat præsens, esset defensus: is enim arcu contento, quorum duos attulerrat, quinque monachos vulnerauit, & abbatem ex eorum manibus abripuit.

Abbatis &  
monachorū  
contentio.

## M C C C L X X X I X .

Fugerunt è cœnobio Afrano tres Canonici, patria Vurcinenses: præpositus erat Andreas Tetelbachius ex eadem vrbe accersitus.

## M C C C C X C .

Obit Hugoldus Schleinicius, Alberti Ducis Saxonie Marschallus, x i i i i. Cal. Febr. Is ex arce Cribesteino Misnam deportatur. Funus prosecuti sunt ipsi principes, & Henricus abbas Chemnicensis, eius gentilis: & mulieres nobiles, quatuor & octoginta. In templo Afrano tale habet epitaphium, laminæ æneæ insculptum,

*De Schleinitz clarus, nulli integritate secundus,*

*Hic iacet Hugoldus, quo malè Misna cares.*

*Te auxerat is titulis, fama, atque opibus, meritisq;*

*Marschallus, magno iudicio atque probo,*

*Heroaq; manu miles, capitaneus armis,*

*Confilio-*

*Consilioq; potens, verba diserta dabat,  
Nec totus moritur, virtutis semina liquit,  
Lector funde preces, chare viator aue.*

## M C C C C X C XI.

Andreas Tetelbachius præpositus Afranus, ex indulgentijs Ronnebergi & Schluckenæ collegerat mille & trecentos aureos : qui in itinere ei à latronibus rapiuntur, ipse vix precibus saluus euadit.

Ignis.  
Inundatio. Oritur incendium Misnæ x v i i. Cal. Iulij, Rursus vi. Cal. Iul. fluminum inundatio per totam regionem. In pago Langolunguitio, & vrbe Zuccania quatuor & quadraginta homines aquis improuisis pereunt.

## M C C C C X C XII.

Obit in die Epiphaniæ Ditericus Schleinicius Eq. au-  
læ Saxonice præfектus. Obit etiam Nicolaus Questenitius,  
præpositus Afranus.

## M C C C C X C XIII.

Casus tri-  
stes. Ciuis quidam Himmelrichus, filium interficit: pater  
capite plectitur, initio mensis Iulij: mater dolore extin-  
guitur, in fine Augusti.

## M C C C C X C XIV.

Nicolaus Steinbachitus hac in vrbe natus, vir prudens  
& consilij plenus, fuit in aula Alberti Ducis Saxonie.

Fridericus Dux Saxonie, Alberti filius, die 24. Sept.  
hac transit, iturus Senas in Italianam, literarum causa, in  
eius comitatu fuit comes Leisnicius, & Anargus Vuilden-  
uelsius.

felsius. Doctores Paulus Vuateus, & Henricus Scheiba.

## M C C C X C V.

Vis ventorum horrenda, quæ ædificijs & satis, detri-  
menti multum dedit xii. Cal. Augusti.

Ventus.

Burchardus Grosius consul, inspecturus lapicidinam  
supra diui Nicolai templum, cum equo præceps de monte  
ruit, & moritur.

Ab hoc anno grassatur pestis, usque ad finem septimi  
& nonagesimi.

Pestis tri-  
ennii.

## M C C C C X C V I.

Nix profunda viii. Calend. Aprilis.

Georgius Dux Saxoniae Alberti filius xii. Calend.  
Decemb. duxit vxorem Barbaram, regis Poloniae Casimiri filiam, nuptiae celebrantur Lipsiae: fuerunt ibi equi-  
tum Germanicorum & Polonicorum millia sex, ducenti  
octoginta sex.

## M C C C C X C V I I.

Albis exundans tribus portis urbem introit. Secuta  
pestilens est.

Inundatio.

Iohannes præfus ædificat arcem Vurcinensem à fun-  
damentis.

## M C C C C X C V I I I.

Nascitur iiiii. Non. Febr. Wolfgangus à Lutichau,  
qui postea doctor iuris, fit Canonicus Misnensis, cui digni-  
tatem illam Dux Georgius vltro obtulit, quatuor alijs  
repulsis, qui eam ambierant: quam cum annuo spacio  
finito resignasset, ei succedit Ditericus Tegnicius, multis  
sacer-

sacerdotijs ditatus : sed antequam ē camera Spirensē veniret Misnam ad possessionem , vitam in itinere finit . Lutichius adhuc viuit vltra septuagenarium , vir egregia virtute & integritate , duodecim liberorum parens .

Fulmen . Dux Martini templum x v i . Cal . Aug . de cœlo tangitur , & rumpuntur campanæ .

Pestis . Peste obeunt septem Canonici Afrani . Magna fuit vis aquæ , & tempestates incertæ .

## M C C C C X C I X .

Wolfgangus Georgij Ducis primogenitus , obit x i i . Calend . Febr . mense quinto postquam natus fuerat , Misna sepelitur .

*Aetas , nobilitas , non rumpunt vincula mortis :*

*Wolfgangus Princeps occidit , atque puer .*

Eodem anno v i i . Calend . Augusti . Ericus Dux Brunsvigius cum Catharina vxore sua , Ducis Alberti filia , Dresden discedit , cum socrum Zedenam salutasset .

Iohannes filius Duci Georgio nascitur Dresden ix . Cal . Septemb . post mortem tumulatur Misnae , vt alibi dicitur .

Hoc anno rerum omnium felix copia . Mensura vini , quam nos cantharum nominamus , empta quadrante .

Nascitur in hac vrbe Bernardus Freidingerus , Bernardi pictoris filius i i i . Idus Octob . Is trium ducum Saxoniae D . Henrici , eiusq; filiorum Electorum Secretarius , vir singulari fide & grauitate , adhuc in vitiis est .

Prid . Cal . Decemb . conuentus indictus Lipsiam , ad quem Albertus Dux accessit ē Phrygia .

Mors mifera . Die huius anni ultimo Iohannes Hofmanus vicarius , vt lictorum manus effugeret , in puteum à Vualtero quodam dictum , cum domum contiguam intrare per putei tegumentum vellet , præceps delabitur & perit .

GEOR-

# GEOR. FABRICH

## CHEMNICENSIS

### Annalium vrbis Misnæ

#### LIBER III.

M. D.

**A**LBERTVS Dux Saxoniæ fortissimus (manus dextera Imperij à pontifice, Rolandus à milite Belgico cognominatus: ex Embda, vrbe Phrysiæ, prope quām in cœnobio quodam obierat, per Iohannem pincernam Tau teburgium, ad maiorum sepulchra Misnam defertur, Non. Sept. Concionem funebrem, de eius reb. gestis habuit D. Iohannes Hennigius, natus in oppido Hana, vicino huic vrbis, inter Canonicos sui temporis eruditissimus. Epitaphia eius varia inueni, vnum scripsit Conradus Vuimpi-na, professor Lipsiensis, de laude eius bellica,

Alberti  
Ducis mors  
apud exte-  
ros.

*Saxoniæ Dux magnanimus, virtute vel armis,*

*Fridrici Augusti tiro neposq; fuit.*

*Qui Phrysios, Flandrosq; leues, glaucosq; Britanas,*

*Terribili lituo saepe fugauit atrox.*

*Exstitit hic terror Gallis, acriq; Sicambro,*

*Eius & expauit Belgica terra iugum.*

*Victor ab Oceano, Zephyris luētibus, amplas*

*Exuuias retulit, signaq; capta ducum.*

*Victor ab aurora, prostrauit Pannonas armis,*

*Regis & Ungarici saepe refregit opes.*

*Et vos o Phrysios, ob captum tristia natum*

*Ferre iubet, vestros depopulatus agros.*

*Illius ad cunctas peruenit gloria terras,*

*Dictus & Imperij dextra fuisse manus.*

Pro

*Pro tantis meritis ingratus nil dedit orbis,  
Præmia sed nouit iusta referre Deus.*

Alterum edidit Hermanus Buschius de virtutibus eius  
in pace,

*Alberti sita sunt hic clari Principis offa,  
Qui fuit invictus robore, pace, fide.*

*Aequabat cœlum quo sospite Misna, supremo  
Et tetigit superos vertice leta Deos.*

*Hoc viuente, fuit scelerum repressa facultas,  
Hoc pro iusticia Principe, pugna stetit.*

*Virtuti nunquam meritos subtraxit honores,  
Fulgit in excelsô pax probitasq; loco.*

Tertium de incerto genere mortis, quod in vulgus  
emanauit, id scripsit Ioachimus Camerarius scazonte tri-  
metro cataleto,

*Nondum genus mortis mea refertur,  
Neque adhuc sciunt populi, quid interem.*

*Hic ferreum somnum capio sepultus,  
Albertus ille Phrysijs timendus,*

*Propago Martis, præliorum Enyo.  
Multi putant hostilia obsidentem*

*Mænia, trucidatum esse flammicreperæ  
Fundæ globo: multi negant ita esse.*

*Sat hoc tamen constat, carere vita  
Albertum, ab ortu Saxonum Duce aucto,*

*Ne Phrysijs iam nunc quidem timendum.*

Strages pe-  
corum ex gra-  
minum infe-  
ctione. Fuit per triennium strages pecorum per hanc totam  
ditionem: infecta pascua fuisse, depræhensum est, & de  
auctoribus paßim sumpta sunt supplicia, & in hac yrbe, &  
Dobela, Vurcina, Eilenbergo, alijsq; vicinis.

## M D I.

Inundatio Albis x i x. Calend. Septemb. ita ripam excessit, vt in  
foro à

foro à nundinis appellato, iintribus ac cymbis nauigantur. Iugum pontis vnum è maioribus, euersum, in quod cùm homines multi current, vt ingum grauarent, quatuor cum fractis sublicib[us] natarunt, vsque ad cœnobium sanctæ crucis, prope quod euaserunt incolumes. Albiter glacie constitit, eadem hieme.

## M D II.

Ameleis Alberti Ducis Saxoniz filia, duci Bauariae Georgio nupta, moritur Rochlicij, anno ætatis sexto & sexagesimo, sepelitur in hac vrbe:

*In Misna genita, & Banaro sponsata marito,*

*Cuius defunctæ Misna cadauer habet.*

*Annum vnum, & tredecim que vixit lustra, sub isto*

*Ære latet corpus, spiritus alta tenet.*

Initio Maij tanta copia crucarum fuit, vt hortos & silvas nudarent folijs: in vijs ab hominibus & iumentis tererentur.

Erucæ.

## M D III.

Raimundus Card. legatus à latere, Misnam venit, initio Ianuarij: onustus indulgentijs mercenarijs, à cuius famulis Lipsiæ incensum cœnobium Paulinum. Intra menses duos tres fuere Romani pontifices, Alexander VI. Pius III. Iulius II.

Raimundus.

Circa festum Palmarum excreuit Albis, secuta æstas sicca, & hiems asperrima, per menses integros quatuor.

Nummos Angelicos adulterant Ebræi, falsiorum auctor Ephrem nomine, Lipsiæ crematur, socij eius duo fugæ elabuntur.

Perduelles à duce Georgio proscribuntur, Georgius Gutensteinius, & Eberhardus Brandstenius, qui adiuti

M

Boëmo-

Boëmorum auxilijs diripiunt Verdam Episcopale oppidum. Tumultus inter senatum & ciues Misnæ.

## M D I I I I.

*Incendiaria*  
iii. Incendiarij grassati , qui putabantur ab Ebræis immissi.

Institutum pharmacopolium in hac vrbe , diligentia solerti viri Caroli Leuschneri , qui filium Christophorum , Doctorem medicinæ egregium , reliquit.

Fames. Ab initio Aprilis vsque ad finem Iulij mensis , nullæ pluviae : eam siccitatem secuta frumenti penuria. Secuta acris hiems , quæ menses tres duravit. In profecto nativitatis Christi , tonitrua & fulmina , sine vlla aëris perturbatione fuerunt.

Ludum prope Basilicam rexit M. Iohannes Pellichius Citiensis , ad quem vt virum bonum & eruditum , sic scribit Buschius ,

*Ille mihi liber , rex ille & dines habetur ,  
vri qui partis audet amice bonis.*

*Ille mihi doctus , qui non vulgare docere  
Nouit discipulos , nec triniale , suos.*

*Hanc vtramq; tibi laudem non deneget vllus ,  
si modò non fallax arbiter effe velit.*

Idem in hac vrbe sepultus. Ei deinceps successerunt Valentinus Hertelius , & Iacobus Breitenbachius , donec ludus in vrbem transferretur.

## M D V.

*Pœna leuitatis.* Monachus Afranus , qui vrbis pastor erat , cùm de instituto Christi , fæmella aliqua sacris vndis effet abluenda , in contemptum sexus dicere solebat , statim a baptismo in profluentem coniiciendam , Geteufft vnd erseufft. Is de ponte

ponte Albis, cùm fortè prospiceret, iusto Dei iudicio decidens, submergitur.

Tempestas imbrium & fulminum maxima, 1111. Idus Augusti.

## M D V I.

Mulier flagrans appetentia illa viciofa, qua prægnantes affici solent, adolescenti viso, qui cruribus nudis in publico stabat (quod faciunt apud nos pannorum confeccores) crura eius morsu inuadit, quod cùm tulisset bis, & tertio negaret, paulò pôst trigeminos illa edidit: priores duos sanos & valentes, tertium in utero extinctum. Hoc in commentarijs Simonis Pistorij, viri præstantis legi, qui Medicus in aula Saxonica fuit.

Graffante per omnem Misniam peste, hæ vrbes à lue immunes fuerunt, Pirna, Dresda, Misna, Fribergum.

## M D V I I.

Peste quatuor mensium obierunt homines quingenti. Vilitas annonæ, modius frumenti emptus grossis nostratis quinque, hordei sex, auenæ tribus, ita ut cultura agrorum pluris constaret, quam prouentus fructuum esset æstimandus.

Vilitas.

## M D V I I I.

Iohannes VI. præfus aditus difficiles habuit ad dignitatem, & in initio muneris præcipuos aduersarios, sacerdotes Budissinenses & Misnenses, ita ut illa conspirationi similis aduersatio videretur: accusatus Romæ, non cessit potentia, quia iure erat superfor, & quia magis dignitati dioecesis, & officij sui studebat, quam aliorum seruiebat cupiditatibus, viator partis utriusque extitit. Accessit postea vexatio ab exteris: nam indulgentiarij Liuonienses

Præfus se-  
uerus.

Romæ literis ab Alexandro & Iulio Pont. impetratis, suas merces exponere cipiabant in eius vrbibus, nomine & auctoritate antistitis Magdeburgij, hoc ille planè reijciebat, & suæ Ecclesiæ Ingenuæ obijciebat libertatem, ideo ab omnibus locis suæ dicecessis illos nugiendas seueritate acuit, & causam tandem obtinuit apud Iulium 11. Aduersarius eius erat Christianus Baumhauer, quasi dicas, arborum cæsor aut euersor, qui ex illis indulgentijs pecuniam faciebat, adhibitis duob. impostoribus Philippo Scirpio, & Hermano quodam Sacerdote Hildeshemio. Vix defunctus erat hoc negotio, ecce illi bellum imminebat à nobilitate, cuius multitudinis duces erant Alexander comes Leisnitius, & Iohannes Kitlicius: item Ciceritij, familia antiqua & fortis. Accedebat direptio Verdæ episcopalis, oppidi satis lauti, à quodam Guterstenio Boëmo facta: ad id recuperandum misit Georgium Angerum præfectum Dresensem, Georgius dux Saxoniæ, cuius prudenter sunt res compositæ, sed sine recompensatione sumptuum. In tot similitatibus & turbis præsul sagacitate & animi labore hostes superabat: nec erat in suo munere non maximè industrius. In superstitionem suorum temporum sæpe iocabatur. Dixit aliquando, si sacra Biblia lego, aliam inuenio religionem, quam quæ nostra hodie est: & illam nostris moribus & institutis vaide dissimilem.

Tecelius.

Cùm videret multitudinem Iohanni Tecelio Dominicanu, Theologiæ initato, & impostori astuto numerantem pro indulgentijs pecuniam, O cæcam plebem, ait, quæ mittit pecuniam in eam cistam, ad quam referendam, clavem non habet. Dixit de eodem Tecelio, ipsum fore indulgentiarum institorem ultimum, quod nimia esset impudentia & temeritate præditus. Cùm subijceret ei Canonicus eruditus, Tecel lingua Turcica significare diabolum, effusè risit, sed verbum nullū addidit. Georgium Frichenhusium Dominicanum Lipsiensem, contra bullam, de esu bütiri

Delectus  
ciborum.

butyri concionantem defendit, & pro eo cōtra Canonicos Fribergios liberam tulit sententiam: nam quod Romæ pālati & impunē per totum anni tempus venditur: id Germanis siae ære permittere, aut sine pœna edere, non licebat. Cū monachum videret, dicebat, nullū animal audacius esse eo, quod ē cucullo prospereret. In eius mensa nullum esse monachum visum, non leues homines mili affirmarūt. Sacerdotum mores egere correctione, & licentiam vita eorum nimis longè progressam, constanter profitebatur, Dedicationem quorundam templorum aut dissuasit, aut quoad potuit, distulit, cū videret ultra modum superstitiones venales crescere. De fundatione facri perpetui, quod Missam nominant, adhibitus in consilium, respondit, pulcherrimum quidem in equo, oculos esse membra, & id ad decorum spectare præcipue: sed si totum equi corpus nihil esset, prater oculos, id ipsum quod ornamento fuerat, iam futurum prodigo: indicare volens, minuenda potius, quam augenda sacra nummaria. Iohannem Pfennigium Theologum Erfurdianum, qui habitum religiosum mutauerat, Fretensem suffraganeum, in Annebergo pastorem, annos sex Vurcinæ & Stolpenæ tenuit vinculum, qui in carcere, lumine non custodito, stramine ardente fumo suffocatur. Eius temporibus dux Georgius cœnobium in Annebergo, & aliud in rupe regia, altissima ad Albim specula fundabat: de quibus cū forte præsulem rogaret sententiam, ei respondit, Illud vix duraturum, propter fumum ē coctione metallorum: hoc verò propter auram Boëmicam Hussiticam breui interturum: quod præsul ioco dicens, diuinator fuit, nam rupis Regiæ cœnobium, viuente adhuc principe descrebatur. Erat hic præsul miræ severitatis & continentia, & ad rem familiarem attentissimus, redditus auxit, ædificia omnibus in locis reparauit, idcū cū Vurcinæ faceret, inuentis ibidem duabus lapidicinis, gaudio exiliit, & illi vrbi

Dedicatio  
templorum.

Missa.

Cœnobio-  
rum struc-  
ta.

impensè commodauit. Simone Tauschio præposito Afrano, loco suffraganei vsus est.

Eodem anno Non. Auguſti fluuius Trebiſa imbribus auctus horrea & fullonias fustulit, quotquot in ripa fuerunt.

Hoc anno renouatur porta Lomacensis, quæ ſinistra Fribergum, dextera dicit Lipsiam.

Andreas Crellius Decanus Fribergius, animi cauſa in hanc vrbe veniens, moritur 1111. Id. Auguſti.

*Genus mortis dirum.*

Eodem anno Cal. Decemb. Georgium Schleinicum, Henrici Marschalli fratrem, Georgius Kera Francus Dreda interficit, qui die tertio in hac vrbe ſepelitur. Hoc tradit Sarctorius. In tumuli lapide ſcriptum eſt, quod imprudentia ſe ipſe cultro laſerit, & ſit mortuus.

### M D IX.

Aestas valde ſicca, Albis in locis multis vadosus. Contentio inter Canonicos Brixinenses & Misnenses, alentibus Ambitio, ambitione discordiam Melchiore Meca, & Iohanne Schleinico, vtriusque loci præſulibus: qui tota vita inter ſe diſfellerunt.

### M D X.

Zedena Georgij regis Boemiarum filia, Alberti ducis Saxoniae vxor, obit Cal. Febr. Sepelitur hic ad latus mariti, cui tale fecimus epitaphium,

*Zedena Boemae de ſanguine nata, ducisq;*

*Saxonia coniunx intemerata fuit.*

*Candida simplicitas, & morum pulchra venustas,*

*Ornatu reliquo pulchra fuere magis.*

*Arce Torantana moritur, Misnense quiescit,*

*Qua matronarum ſplendida gemma fuit.*

*Nascitur.*

Nascitur v i i. Idus Nouemb. Leonardus Sigismundi F. Badehornus Iureconsultus , qui Patauij à Socino, Alexanderino, Malmignato iura didicit, & cum Wolfgango Collaro ab Electore Saxonie D. Mauricio ad synodum Tridentinam missus est, in qua contra Pontificios perorauit: hoc tempore consul Lipsiensis, & assessor Ducalis Iudicij, doctrina & auctoritate ornatissimus.

Extruitur porta Albina & turris , in aditu pontis.

Dux Fridericus Alberti filius , hydrope extinguitur Rochlicij , x i i i. Cal. Decemb. anno ætatis septimo & trigesimo , & ad maiorum tumulos Misham defertur. Fuit ordinis Borussiaci princeps magister , numero tertius & trigesimus. Armis regis Poloniæ Alexandri pressus , post annum duodecimum suæ gubernationis , cùm imperij vi- Fuga di-  
guitatis.  
ribus destitueretur , maluit ducatum & præmia ampla re- linquere , quām regi extero iureiurando se obligare. Ei suc cedit Albertus Brandenburgius primus Dux Borussiæ . Adolescens literis operam dedit vrbe Senis in Hetruria , in qua præceptorem suum sepelinit.

Ornanit studijs quem docta Hetruria pulchris,

Frugiferos Blandus quā fluit inter agros,

Inde Borussiacas peruenit rector ad vrbes,

Teutonicae capiens cingula militiae.

Tradere sed renuens sauo sua iura Polono,

Exiliij patriam deligit ipse , locum,

Quodq[ue] putant felix , maiorum ad busta quiescit ,

Post septem vitæ lustra peracta suæ.

### M D X I.

Iohannes Faustulus ciuis de ponte Albis in pilam sali- Mors ino-  
ens , gladio quo accinctus erat , in pilam offenso , præcipi- pina.  
tatur & perit. Inuentus post diem decimum , in Francisca- no sepelitur.

Eodem anno pontis iugum maximum, à Nicolao quodam fabro Zuccauense absolutum est, mense Septembri. Hiems aspera & niuosa.

## M D X I I .

Ditericus Schleinicius Eq. & aulae magister, obit mense Ianuario, sepultus in templo Afrano.

Eodem anno Cal. Maij, cùm senatus in curiam ciues congregasset meridie, fœmina quædam mentis alienata, domum suam incendit, cremata balneæ, & domus aliquot in foro, à fœminis nominato.

In comitijs Treuirensibus, atque item Coloniensibus, edita Imperatoris mandata sunt, contra blasphemos & ebrios, quæ etiam promulgantur in hac vrbe.

## M D X I I I .

Fames.

Alio incendio cremantur domus quinque. Fuit eodem anno caritas annonæ.

Albis ter  
glaciat.

Albis ter glacie constitit, in fine Nouembris, item Decembris, & in initio Februarij.

## M D X I I I I .

Natus in hac vrbe est **V I I I .** Calend. Iulij, vir venerabilis Iohannes Baumgartnerus, Sigismundi Pistoris filius, qui nunc docet Magdeburgi, pastor ad sanctum spiritum multis annis.

Felicitas.

Thamum oppidum Phrysiæ, Nonis Augusti captum à Misnensibus.

Eodem die ante annos tres & nonaginta vicerūt ijdem ad Bruxiam hostes suos in Boemia.

Iohannis

## M D X V .

Iohannis Munsterbergij Chronicum finit, qui vixit in  
cœnobio Chemnicense, extra urbem.

## M D X V I .

Res ridicula accidit mense Nouembri, nam cùm lata Furis fu-  
asset in hominem nocentem, gladij sententia, cùm mona- ga.  
chus abiret, cui fuerat confessus, se post ostium abdit.  
Veniente iusticiæ ministro, reus clam exit, & post se clau-  
dit ianuam, quæ antequam aperiretur, & carnifex libera-  
retur, nulli inueniendus, in columis aufugerat.

## M D X V I I .

Egregius D. Vilhelmus de Betschitz V. I. Doctor Mis-  
nensis & Numburganæ Ecclesiae Canonicus, Illustriss. Prin-  
cipum D.D. Friderici Rom. imperii Mareschalli, Principis  
& Electoris, D. Iohannis fratris, Ducum Saxoniz consili-  
arius, diem clausit supremum. Cui parens Nicolaus de Bet-  
schitz, mater vero Anna de Sebitzschene sive Grossen, sed  
avia paterna de progenie Naptitz fuere. Cuius animam  
miseri Deus ad æternam beatitudinem dignetur collocare.  
Hæc in summo templo inscriptio tumuli est.

Genus quoddam atium ignotum volavit gregatim Aues igno-  
magnitudine hirundinis, tergo & ventre puniceum, corpo-  
re reliquo nigrū, ab hirundine tantum differens rostri lon-  
gitudine, inimicum apibus, & minutis pisciculis. E dolore  
capitis & febribus ardentib. multi sunt eo anno extinti.

Eodem anno Egidius Misnerus nascitur v 111. Id. Septi-  
nunc senatus Hanensi à libellis, vir doctus & prudēs, Caspa-  
ris Borneri in eadē urbe nati, Doctoris Theologiae, aliquan-  
do discipulus & amanuensis.

M D X V I I I .

Hiemis rigor durauit à die vinculorum Petri vsque ad medium quadragesimam.

Henricus Schleinicius Georgij Duci Saxoniæ Marshallus, cognomento Cæcüs, x i x. Calend. Febr. moritur Misnæ, in domo filii sui Ernesti, Misnensis & Pragensis præpositi. Sepelitur in cœnobio Veterocellense. Hic cum Henrico duce Saxoniæ magnas contentiones sustinuit.

Iohannes præsul v i. obit i i i i. Idus Aprilis, sepelitur Vurcinæ, anno præsulatus primo & trigesimo : eius tumbam diruit Erasmus Spigelius. In eius locum cooptatur.

*Iohannes* *v i i. de Schleiniciorum familia, qui sedem Ra-*  
*V I I. præ-*  
*ful.*

Eius competitores fuerunt Eustachius comes Leisnicius, & Nicolaus Heinicius Iureconsultus & Duci Saxoniæ Georgij consiliarius. Infulam pedumq; accepit Mersburgi. Sororem Euphemiam mittit in cœnobium Fribergum, è voto matris. Obit legationem nomine ducis in Poloniam. Ad opprimendos Lutheranos nulli sumptui pepereit aut labori, nam totius ditionis Ecclesiæ ipse inspexit, & Romam ad diplomata impetranda iter suscepit : estq; plurimum vsus auctoritate & opera Nicolai Schonbergij Cardinalis, & Caroli Milticij secretarij Pontificij, qui tum gratia singulari apud Leonem x. & postea apud Clementem v i i. valebant. Defensores pontificis Emserum, Cochlaeum, Amnicolam, Plicciūm, Silium, Alueldium fouit atque adiunxit. Coadiutorem sibi eligit anno præsulatus sexto decimo, Iohanne Malticum cum quo Romam profectus, animo ætatem illic peragendi, quod coniunctissimum haberet Cardinalem Schonbergium consobrinum suum, sed voto frustatus est, mortuo videlicet Clemente v i i. apud quem se gratiosum fore, amicorum patrocinio, sperauerat. Reuersus in Germaniam, præsulatum quoad viuit, retinet.

## M D X I X.

Academia Lipsiensis propter pestem in hanc urbem transfertur. Petrus Mosellanus professor primarius habi-  
tauit domum Martini Lochauij abbatis Veterocellensis, in  
quo otio in linguam Latinam vertit libros quinque Gregorij  
Nazianzeni, De Theologia. Eadem domus dicata ludo  
illustri, quam ego habito nunc annos vndeclim.

Petrus Mo-  
sellanus.

Obit hic eodem anno Doctor Magnus, de familia Sa-  
xonica Canum, professor Lipsiensis, qui saepe hoc dicto  
vsus fertur, Inter seculares nugae, sunt nugae: sed inter sa-  
cerdotes, nugae sunt blasphemiae. Fuit in illo viro nihil non  
ad severitatem compositum.

Vrbi prae*fectus* fuit Georgius Porta, vir nobilis & pru-  
dens.

## M D X X .

Incendia hoc anno Vurcinæ, Lipsiæ, Olsnicij, excitata.  
Hiems pluviosa & calida usque ad v i i i. Cal. Martij  
fuit: inde niuibus & gelu rigidior, usque ad mensum Maium.  
Nascitur Iohannes Bretschneider, prid. Non. scriba  
Mariebergensis, vir honestus atque prouidus.

## M D X X I .

Nascitur die profecto Christi ascensionis, Christophorus Caroli F. Leuschnerus, Medicinæ Doctor, qui in patria  
artem iam exercet, prudentia & fidelitate eximus, & pro-  
pter humanitatem & suavitatem omnibus gratissimus.

## M D X X I I .

Abbas Martinus Veterocellensis, usus in hac urbe me-  
dicorum opera, cum morbus auctior indies fieret, ad suos  
relatus moritur, mense Martio.

Nascitur

## M D X X I I I.

Nascitur v i i i. Id. Martij, Petrus Stolcerus, qui vinit honoratus in aula comitum Mansueldiorum, literarum & linguarum externarum peritus.

Hugoldus Schleinicius vir grauiissimus, obit apoplexia i i i i. Cal. Octob. in agro Borsenitio, de finibus arbitter adhibitus, huc transfertur ad maiorum tumulos.

Inunda-  
tio. Molendina propter siccitatem cessant aestate, & eadem propter violentiam fluuiorum rumpuntur hieme.

## M D X X I I I I.

Frigora. Die Pentecostes frigore corrupta vineta, & in aquis statuis concreta glacies.

Benno præsul Misnensis, ordine decimus, post mortem suam, anno quadringentesimo decimo septimo, ab Hadriano vi. numero Diuorū ascribitur, cum quodam Antonino Florentino Antistite, vt testatur Lilius Gregorius Gyraldus, in libello de sepulchris, quem Carolo Milticio, in huius urbis vicinia nato, inscrispit. Acta hæc res multos annos Romæ prius, quam confecta. Misni sunt à Georgio legati Cæsar Pflugius, & Iohannes Vuarterus ambo Equ. A Friderico i i i. Electore Georgius Pontanus Iur. & Fabianus Felicius, & Hugoldus Einsidelius Eq. Procuratores fuerunt in curia Pontificis D. Iohannes Henningus, & Iacobus Gertouicius. Offa Bennonis more solenni effossa, & sublata in tumbam marmoream ophitinam sunt, x vii. Cal. Jun. die postfesto diui Viti. Præsentes aelerant, Iohannes Misnensis, & Adolphus Mersburgius præsules. Georgius & Henricus duces Saxonia: Georgij filij Iohannes & Fridericus. Henrici filii, Mauricius & Seuerinus. E comitibus, Mansueldius, Leisnicius, Barbenfis, cū plurima nobilitate. Alijs religioni res fuit, alijs ioco & risui. Urbi tum præfectus fuit Ernestus Milticius.

In aula

Bennonis  
apotheosis.

In aula Iohannis Illustriss. Saxoniae Electoris egit consilium hoc tempore Iohannes Schuertfegerus Iuris licentius, Nicolai cos. Misnensis filius, integritate & prudenter vir praestans. Cui vir clariss. Philip. Melanchthon inscripsit primos libellos Dialecticos, eiq; suavitatem morum ac ingenij dexteritatem tribuit.

Post natalem Domini magna Albis inundatio.

Inundatio.

Prisca Eisenbergia Halensis, abbatissa ad sanctam Crucem obit, in cœnobio Stamsiano Cisterciensium, in quo etiam conditur Sigismundus dux Austriae, cum uxore sua prima.

### M D X X V.

Mense Maio tres puellæ rusticæ, in fundo alieno, Iacobi Losi, pastoris Zeilensis, grama metentes, ab ipso fundi domino inde fugantur, gladio nudato eas persequente: sed ipsa cum a vado, per quod venerant, terrore aberrant, in piscina vicina misere pereunt, extractæ inde iunctis inuicem brachijs inueniuntur, cum altera subleuare alteram, & seruare voluisset.

Trium pullarum interitus.

Sicca ætas, bonus vini prouentus. Agrestiū tumultus.

Civis falsarius, qui arma sagittarijs parabat, quod monetam adulterinam cudit, rogo imponitur.

Nascitur Wolfgangus Eilenburgius, die ultimo Octob. qui ludum senatorium gubernat doctrina & exemplo, annos iam vnum & viginti.

Georgius Spindlerus in hac yrbe natus, ex Afrano discedit, meliori & certiori religione deditus, & Dummicij in Electoratu sit pastor.

### M D X X V I I.

Obit Decanus Misnensis D. Iohannes Henigius 111. Id. April. cui Hana oppidum, duobus hinc dilatum mil- Canonicus cruditus & plastrans. liariibus,

liaribus, ut dictum est, patria fuit: quæ etiam, patria Caspari Borneri Theologi, qui longo tempore Lipsiæ floruit, optimè de Academia, & de me quoque priuatim meritus, dum ei collega essem. Ad Henigij Decani tumulum hæc verba aliquando vidi ascripta,

*Aue pater, rex creator,*

*Aue fili, lux seruator,*

*Aue pax & charitas:*

*Aue simplex, aue trine,*

*Aue regnans sine fine,*

*Una summa trinitas.*

Aluit Lipsiæ Ambrosium Franciscum suis sumptibus, postea Iudi Schnebergij magistrum, & ibidem rationum publicarum metallicarum scribam, qui adhuc in viuis est, senex optimus, doctrinaq; & innocentia vitæ venerabilis.

Nascitur Burchardus Reichius 111. Idus Octobris, nunc scriba supremus senatus Dresdensis.

Certamen propositum fuit certantibus sagittis. Cum de more ciues è multis vrbib. euocaretur, intererant animi gratia duces fratres Georgius & Henricus: præmium fuit Bos, precio quinque & viginti aureorum. Id obtinuerunt ciues Torgani, qui cum suum præmium ducerent, Bene illis vertat, inquit Dux Georgius, modò in quadragesima ne maestent atque comedant: nam id ipse dignum piaculo existimabat.

Eodem anno Prid. Calen. Decemb. nascitur Andreas Mylius, Illustri Duci Iohanni Alberto Megalopolensi, à consilijs secretis, vir insignis doctrina atque facundia, & legatus eius ad Imperatorem & regem Poloniae.

### M D X X V I I I .

Nascitur Misnae Sebastianus Starg, xiiii. Cal. Febr. qui nunc in comitatu generosorum comitum Suarceburiorum

giorum, Greufenæ docet Euangelium, Andreæ fratri meo  
dubyaugos.

In senatum legitur Nicolaus Aneforgus, initio Maij,  
triennio post fit consul, in quo munere patronus Ecclesiae  
& literarum, annos triginta & septem iam versatur, viridi  
adhuc senectute.

## M D X X I X.

In fine Februarij violæ floruerunt.

Nascitur post festum Paschatis, proximo Veneris  
die, Hieronymus Buchnerus, qui bonas artes Ratisbonæ  
docuit, & in patria: nunc iudicij Ecclesiastici notarius est,  
Iohannis Riui gener.

Nascitur Urbanus Pfefferkorn, proxima Domini-  
ca post festum Trinitatis, qui Pragæ vxorem duxit, Im-  
peratori Maximiliano II. ab officijs, vir dignitate & pro-  
bitate spectabilis.

In huius urbis vicinia Vneinpyhela, pridie Non. Iulij  
nascitur Iacobus Schadius, qui medicus præstans à cura  
corporis fuit Barnimo, illustri Duci Pomeraniae, Principi  
optimo.

Nicolaus Klungherus præpositus Afranus, tanto lacer-  
torum robore fuit, ut vas vini, quod Tonnam nostri no-  
minant, è cellario solus efferret, & plaustro imponeret.  
Ernestum Canonicum, comitem Mansfeldum statura  
grandis, luctando in altum extulit, & in ianuam clausam  
coniecit, tanto impetu, ut sera dissiliens frangeretur.

Hoc anno cepit ædificari vicus suburbanus inter  
Trebisam, & fossam molendinariam, qui à tribulis no-  
men accepit, cum ad eum locum essent horrea frequentia,  
die Siegelgasse.

Inuasit hanc regionem, morbus nulli antehac cogni-  
tus, qui Anglicus appellabatur, transfusus videlicet per  
omne

Morbus  
Anglicus.

omne corpus sudor è calore insolito, qui nisi prohiberetur, extinguebantur homines somno, fuitq; id malum contagiosum. Antequam curatio cognita est, multi necabantur ab amicis inscijs. Tales poenas Deus minatur ingrato populo, in Mosis libris tertio & quinto.

## M D X X X.

Grandinum tempestas ingens, minuit tegulas in tecis, in agris culmina, Cal. Maij.

Donatus Richterus Martini senatoris filius, nascitur v i 1. Id. Aug. nunc consiliarius generosi comitis Ludouici Neugartij in Pomerania.

Diterico Teguicio gentile eius, cuius supra meminimus, defuncto, multi ad praesulem petitum beneficia contendebant: inter eos erat sacerdos quidam valde imperitus. Inter doctrinæ explorationē, quæ planè nulla erat, præsul de fenestra tædio prospiciens, eius videt ministrum, & quisnam esset, quidne peteret, interrogat. Respondit hic, se expectare pastorem suum: cui præsul, Nunquid & tu expectas beneficium, & quid nouit pastor tuus? Tantundem, inquit, hic dicit, quantum ego. Bene habet, præsul dicit, beneficium, quod ipse petit, tibi concedo & largior, inq; eius rei testimonium, accipe, inquit, hanc chirothecam, eamq; simul desuper deiicit, conuersusq; ad sacerdoteim, ait, Quod petis, alter habet. Cum pertenderet pastor, fieri id non posse, quod Teguitium mortuum nemo ante se sciuisse, præsul ministrum eius producit, quem de fenestra designauerat, & indoctum atque auarum repulsum, cum risu astantium dimittit.

Ritus sa-  
cerdotis in-  
docti.

## M D X X X I.

Albis circa Calend. Maij usque ad templum Franciscanum vndas egit per triduum.

Moneta

Moneta adulterata deprehenditur per totam ditio-  
nem, culpa translata in Vicethum in Boëmia, prope  
Cadanam habitantem.

## M D X X X I I.

Mense Septembri oritur Cometa, præcedens mane  
ortum solis. Qui superiore anno visus erat, initio huius  
mensis lucere desijt. Præfetus yrbi Wolfgangus Schon-  
bergius.

Cometa.

Docuit in hac yrbe linguam Ebraicam Antonius Mar-  
garita, verum cum a sacerdotibus auditoribus deserere-  
tur, Lipsiam se contulit.

Sacerdotes  
negligentes.

## M D X X X I I I.

Nascitur in hac yrbe Martinus Keplerus, Non. No-  
vemb. qui literis operam dedit Argentorati, & Andegaui,  
in Gallia: nunc instituit Principes Illustres incliti Ducis  
Wolfgangi Palatini Rheni, ducisq; Bauariae filios, natu mi-  
nimos.

Illustris Princeps Seuerinus, Mauricij & Augusti du-  
cum Saxonie frater, qui annos xi. mensem vnum, dies  
xiiii. vixerat, obit extra patriam in Alpibus Oeniponti,  
vii. Id. Octob. sepelitur in cœnobio Stamsiano: cui ibidem  
tumulum erexit Augustus frater Elector Saxonie.

Mors prin-  
cipis apud  
exteros.

*Ære Seuerinus Princeps hoc clauditur: artes*

*Cum Natis regis dum colit ille bonas.*

*Indole magnanima iam Patrem aquabat Auumq;;*

*Quos celebrat summos Saxonis ora Duces.*

*Augustus fieri hac Fratri monumenta iubebat,*

*Post messem undecimam, quem tulit atra dies.*

Dn. Seuerino Duci Saxonie ad Henrici Patris, & Al-  
berti Aui virtutem, indole pietatis ac magnanimitatis aspi-

N ranti,

ranti, patriæ in spe summa crepto, Dn. Augustus frater P. C. Toti genti Saxoniæ luctum: liberis Regijs, quibuscum educabatur, desiderium reliquit. Vixit ultra annum x i. Mense i. Di. x i i. Exta eius Oeniponti in templo diui Iacobi condita.

## M D X X X I I I.

Barbara Ducis Georgij vxor, obit Dresden x v i. Cas-  
lend. Febr. Misnæ, in facello, à marito extracto sepulta,  
cui Andreas Francus Camitianus Iurecons. hoc fecit Epi-  
taphium,

*Quisquis ad hoc saxum venies, subsiste viator,  
Et lege disparibus verba ligata modis.  
Illa ego, quæ regum de sanguine nata, Georgi  
Saxoniæ, magni Principis, vxor eram,  
Hic iaceo, quamvis melior mea portio viuit,  
Sed tamen hic tumulus frigida membra tegit.  
Si genus Herorum virtutis semina confert,  
Rege Casimiro sum genitore fata.  
At mea, cui clarum felix dedit Austria nomen,  
Casaris Alberti filia, mater erat.  
Catera cur taceam? vixi coniuncta marito,  
Et perijt nullo tempore noster amor,  
Et mores, censor quo non est iustior alter,  
Est solitus coniunx ipse probare meos.  
Quinetiam genui, carissima pignora natos,  
Quos olim accipiat Saxonis ora duces.  
Viuite concordes sociali pectore fratres,  
Saxoniamq; bona pace tenete domum.  
Quodq; decet natos, patrys succedit curis,  
Et par sit laudi gloria vestra patris.  
Deniq; præcipuum teneris ego semper ab annis,  
Hanc duxi laudem, posse placere Deo:*

sic

Sic igitur colui sincero pectore Christum,  
Ut fuerint mores & sine labe mei.  
Quare etiam moriens te si plege voce rogari,  
Ut serues animam maxime Christe meam.  
Tu quoque, qui legis hoc oculo properante viator,  
Ad mea vota pias addito quaso preces.

Eodem anno illustris Domina, filia eius Magdalena, ante matrem moritur, die vigesimo, quæ fuit vxor Ioachimi i. Electoris, mater liberorum septem.

Nascitur Valentinus Gregorij F. Heida, pr. Non. Febr. qui nunc in aula Ducis illustris Iohannis Holsteinij versatur Iureconsultus, cum honore & dignitate.

## M D X X X V.

Nascitur Fabianus Starg, Sebastiani frater, xiiii. Cal. Febr. qui nunc docet Coloniae ad Albim.

In traiiciendo Albi initio Nouemb. Ambrosius Hauboldus, faber senatus, incautus perit circa Scharffenbergum, septimo demum mense corpus eius ad officinas latricias electum, & in templo Martiniano sepultum. Ceciderunt cum eo alij duo in Albim, qui enatarunt incolumes.

## M D X X X V I.

In summo templo legitur hoc epitaphium,  
Sepultus est hic in Christo venerabilis D. Georgius à Roschitz, quondam huius Ecclesiae Canonicus, qui te amice lector plurimum saluere, & bene valere iubet. Tu vicif sim, si pius es, ipsius animæ requiem precare. Obiit die viii. mensis Iulij.

Hoc anno Nicolaus Graupa, factus praefulvis est vicarius: huic gaudium subito oblatum, causa mortis fuit. Errat ipse in Annebergō, & iam pridem sacerdotium amplius

Hominis  
læticia mor-  
tui. præsul ei promiserat: quod cùm per literas inopinanti of-  
ferretur, ijs non planè perlectis, læticia expirat. Idem de  
Iuuentio Thalua apud Romanos scribit Valerius.

Aestas admodum sicca, & hiems rigidissima: æstate  
riuulos defecit aqua, hieme puteos gelu durauit.

## M D X X X V I I .

Iohannes Ducis Georgij filius Dresdæ obit 111. Idus  
Ian. Misnæ sepultus. Andreas Francus, cuius modò me-  
mini, tale ei scripsit Epitaphium, sepulchro appen-  
sum,

*Marmoris hac tegitur princeps sub mole Iohannes,*

*Saxonica ducens nobile stirpe genus,*

*Magnanimi herois proles generosa Georgi,*

*Auxit qui Misnæ ditia regna sua,*

*Quiq; Duces inter reliquos, ceu Nestor habetur,*

*Constantiq; animo iura verenda colit.*

*Mater erat iuueni, Casimiri filia regis,*

*Qui gessit forti sceptra Polona manus,*

*Sub iuga qui cæsos misit victoria Moschos,*

*Compulit & Turcas vertere terga feros.*

*Indolis inde trahens generosæ infusa Iohannes*

*Semina, iusticia semper amator erat,*

*Pætorumq; tenax, fucos fraudesq; perosus,*

*Ingenuos mores rettulit ille patris.*

*Candorem ipsius tiro tironis amauit*

*Carolus, Augusti qui modò sceptra tenet.*

*Cæsar auus comitem hunc adiunxerat ipse nepotis,*

*Ergo etiam mores senserat esse bonos.*

*Sed res humanas fortuna incerta fugaxq;*

*Arcana fati vertere lege solet.*

*Iam regno matura virum sua fecerat ætas,*

*Imperiumq; illi publica vota dabant,*

Inter-

*Interdumq; leuans curarum fasce parentem,  
Dicendi iuris grande subibat onus.  
Iam pater officij nato cessurus honorem,  
Optabat merita posse quiete frui,  
Occidit ille prior florentibus integer annis,  
Qua doleat genitor fata, superstes habet.  
Erga inuisa suo soluens funebria nato,  
Tetra sub hoc mæstus condidit offa solo,  
Utq; illum æternæ digneris munere vitae,  
Affiduis precibus maxime Christe rogat.*

Vidux eius Elisabethæ Vilhelmi Landgrauij filia, Prin-  
ceps optionem dat viuendi vbi velit: quod si Dresdæ ma-  
lit, ei esse liberum: sin alibi, se non defuturum, quin  
cum dignitate viueret. Ipsa oppidum dotale Rochlicium  
eligit, atque obtinet.

Nascitur Augustus Hercebergius x 111. Calend. Sept.  
qui nunc Euangelium docet Dantisci in Borussia.

Eodem anno Iohannes v 11. præsul obit, 111. Idus  
Octobris.

## M D XXXV III.

Minister aulicus Dresdensis, ex hac vrbe natus, in cœ-  
naculo arcis maiore dormiens supra tabulatum fornacis, Genus mor-  
tis nouum.  
calore & fumo suffocatur, diebus Bacchanalium.

Cæmeterium ex vrbe transfertur, prope diuinæ Nicolai  
templum suburbanum, quod ante hæc tempora ad Ma-  
rianam & Franciscanam ædes fuerat intra mœnia.

Comera conspectus x v. Cal. Febr. post occasum solis:  
cauda extensa versus ortum.

Obiit Anna de Betschitz, in templo diuæ virginis se-  
pulta, marmor ita habet,

Durum, si nescis, frangit patientia.

## A N N A,

Gentis Betschitz nobilis femina, immensis malorum acta casibus, armis munita patientia, victrix saepe, nunquam succubuit, hic magnum exemplum statuit. Unus funestus dies, tres charissimos, Theodoricum Commerstad coniugem, duosque filios (infandum) grauidae abstulit, ipsaque sola matrem, secundis relieta nuptijs, quae quidem, quamvis contigissent non perinde bona, tamen suo more euicit patientia. Ergo malorum sortita terminum, huc nomen suum illibata contulit, pudica, benigna, patientis, matronarum decus omnium, in Christo requiescit suauiter. Mortua est die xxv. mensis Iunij, etatis sua

LXXXI.

Mater uno  
die ter orba.  
Patientia  
in femina.

Liberi piissimae matri morentes F. C.

Georgius Doctor.

Katharina

Nicolaus presbyter.

filia.

Iohannes

Filij.

Iohannes  
VIII. praef.

Eodem anno Iohannes v 111. praeful, apicem & pedum accipit a Iohanne Fabro praefule Viennense, & a Thoma Murnaro Franciscano, suffraganeo Patauiense: ortus ipse de familia Malticia, quae Dipoldisualdi habitat: in canonicatu successit Sigismundo Pflugo, Augustae in comitijs mortuo, postea factus Decanus, & coadiutor, ut dictum est. Anno praefulatus eius tertio, mense Iulio, quatuor oppida Misna, igne conflagrarunt, Nossa, Hana, Dipoldisualda, Vuolchensteinum. Cum Henrico Duce Saxoniae contentio ei fuit, quod legatus praefulsi in comitijs Vuormaciensibus, sessionem sibi singularem sumperat, ducibus Saxoniæ inscientibus, ad quorum tutelam dioecesis pertinet.

Oppida  
cremata.

Eodem anno obit Sebastianus Berieringus x 11. Cal. Septemb. qui medicus huius urbis fuit.

Eodem

Eodem nascitur Paulus Papa Rochlicij, nunc senator,  
& scriba Misnensis, vir prudens & eruditus.

## M D XXXIX.

Fridericus Ducis Georgij filius, qui vi. Cal. Feb. cum  
Elisabetha Mansueldia comitis Ernesti filia, nuptias cele-  
brauerat, moritur 1111. Calend. Martij, sepultus Misnæ,  
ultimo inter Georgij Ducis filios, cuius memoriam haec  
inscriptio testata est,

*Moribus innocuus, præclaro stemmate Princeps,*

*Qui niuea placidus simplicitate fuit :*

*Illa luce diem vidi, qua milite multo,*

*In Phrysius genitor de patria iuit agros.*

*Uno qui vixit tantummodo mense maritus,*

*Postq; æui septem lustra, reliquit humum.*

*Ante patrem moritur, qui nulla prole relicta,*

*Pòst etiam vitam finiit inde suam.*

*Scilicet ex omni nil cuiquam parte beatum :*

*Fata manent iuvenes, credite, fata senes.*

Eodem anno post hebdomadas septem Georgius Sa-  
xoniæ Dux, confectus senio, mœtore, & ægritudine, post  
omnium hæredum obitum, & ipse moritur Dresdæ xv.  
Cal. Maij: in hac vrbe ultimo inter Duces Saxoniæ, sepul-  
tus. Occupato tamen loco sepulchroru[m] pristino, sibi vxo-  
riq[ue] proprium facellu[m] extruxerat, quod marmore candido  
& rubeo Ratisbonense, item Ophitino maculoso Zeblicia-  
no, ornatu[m] in ingressu est, cui eiusmodi scripsi epitaphium,

*Exi[er]patæ  
gens Geor-  
giu[m]*

*Nestor qualis erat, bellantes inter Achiuos,*

*Cum Phrygium premeret Gracia tota solum :*

*Talis Germanos Dux ille Georgius inter*

*Floruit, atque Ducum gloria rara fuit.*

*Consilijs, animoq[ue] simul maturus, & annis,*

*Conspicuus bello, conspicuusq[ue] toga.*

*Plus tamen exornans optatae commoda pacis,  
Odit sanguinei flebile Martis opus.  
Alberti patris celebratur fama per orbem,  
Quod gesit valida bella secunda manu:  
Natus sceptra tenens, tranquilla in pace, parentis  
Nomina non titulis inferiora tulit.  
Sed Duce lata tuo vixisti Misnia semper,  
Cui des aeternos viuere Christe dies.*

Ante noctem mortis eius, auditus in basilica Misniense strepitus, & clypeos duos circa tumbas suspensos, decidisse de tholo affirmatum est. Alius Cometa conspicitur, Prid. Non. Maij, qui durauit usque ad Iunium.

Mutata re  
ligionis for-  
ma.

Per illustrem Principem Henticum, Georgij fratribus legitimum successorem, mutatur forma religionis. Tumba Bennonis ante annos quindecim erecta, deponitur. Canonis & sacerdotibus, qui docterinam Euangelij amplectentur, & officio fungi aliquo Ecclesiastico vellent, manere in urbe permisum: qui aliter sentirent, ijs relictum deliberandi spacium: qui pertinaces essent, concessa ijsdem facultas tutu abeundi. In basilica initio concionati sunt viri

Concionaz illi clari Georgius Spalatinus, Nicolaus Amsdorius, Iustus tores Euan- Ionas, Paulus Lindena, Jacobus Schenchius, Sebastianus gelici. Steuda, quibus Andreas quidam Vngarus Franciscanus, sophista acutissimus, se disputando acerrime opposuit, donec ire ex urbe iussus est. Primus urbis pastor declaratus Johannes Albinus Francus, huc missus Viteberga: eius Diaconus Johannes Hempelius ex Afrano, eodem anno moritur xiiii. Cal. Decemb.

Johannes  
Albinus.

In Afrano primus Diaconus fuit Euangelij tempore, Donatus Langius, nunc pastor Schonfeldius, in praefectura Dresdense: alter Sebastianus Vueidenicius, nunc pastor Lampertius, ambo in Afrano fuerant Canonici.

Ludus Senatorius, quo antea vrbs tanta caruit, instituitur: cui D. Henrici Saxoniz Ducis, optimi Principis voluntate, dicatum cœnobium Franciscanum. Ludi literarum, vt prope Ecclesias constituerentur, doctrinæ & disciplinæ causa, Leo ix. Pontifex, patria Germanus, mandato edixit, cuius Siffridus presbyter meminit. In ludo senatorio primi docuerunt Hermanus Vulpinus, Ambrosius Boresdorfius, qui nunc doctor medicinæ est, & artem exercet Citij, & Christophorus Senfthemerus Musicus Carinthius.

Anno eodem Dresdena in patria moritur Christophorus Sporerus medicus, prid. Non. Maij: qui & in hac vrbe, & in Lusatia Zittauz medicinam exercuit. Relictam eius filiam natu maiorem Magdalenam, post annos vndecim vxorem dicit, vir egregius D. Iohannes Chentimanus, qui etiam Dresdena natus, in hac vrbe medicinam fecit, & inde Torgam se conferens, adhuc ibi floret, præter alia rerum metallicarum peritissimus. Filiam eius alteram duxit D. Iohannes Brambachius, qui natus Dresdena, nunc in patria floret, & medicinam feliciter exercet.

Aestas sicca & calida. Vini uberrimus prouentus, frumentum hortensium minor.

M D X L I.

Diebus Bacchanalium Albis aduerso cursu auxit Trebisam, ita vt nauiculis pescatores concurrerent animi causa. Ponticulus in quo magna turba spectantium stabat, pondere rumpitur. In flumum ceciderunt homines circiter quadraginta, sed sine periculo, opera pescatorum præsentium, omnes euaserunt.

Vixit in hac vrbe Benno Hennitius Canonicus, qui è libris uetus istis Speculū, vt vocant, Saxonū, in quo vetera gentis iura describuntur, emendauit, & in publicū edidit, Lipsiae impressum.

N 5

Propter

Ludus a  
pertus in vr  
be.

Ludi lite  
rarum.

Felicitas  
in matrimo  
nio.

Lapsus de  
ponie.

Speculum  
Saxonicum.

## M D X L I I.

**Tumultus Misnicius inter Duces.** Propter Vurcinam præfusilis Misnensis oppidum, arma sumpserunt, Iohannes Fridericus Elektor, & Mauricius, Duces Saxonie: sed incendium quod iam flamمام ceperat, extinguitur Dei prouidentia, & fidelis intercessione Philippi Hassiae Landgrauij, in ipsis ferijs Paschalibus. Fata eo tempore fluminum magna inundatio, præsertim in Turingia.

**Locustæ.** Mense Octobri multitudo locustarum hanc regionem inuasit, per quæ loca inuolarunt, ijsdem postea, Hispani milites grastati sunt.

## M D X L I I I.

M. Fridericus Schualbius Hilperhusius in ludum senatorium vocatur: eius collegæ fuerunt idem Ambrosius, & Iohannes Reuschius Musicus excellens, nunc Cancellarius præfusilis Misnensis. Ambroso Lipsiam se conferenti, succedit Paulus Rindermanus.

**Ludus Ducalis.** Ludus illustris apertus v. Non. Iulij, cui dicatum Illustris Ducis Saxonie D. Mauricij beneficentia, cœnobium Afranum. Aluntur in eo pueri centum, cum quatuor præceptoribus, qui in pietate vera, & bonis literis, ac honestis moribus iuuentutem formant atque iustitunt. Primi Præceptores constituti Hermanus Vulpius, ex vrbe euocatus, Matthias Daberchusius, Hiobus Magdeburgus, Laurentius Hofmanus Musicus. Oeconomus Iohannes Rosbachius, Ecclesiæ pastor D. Nicolaus Cumerstadius, in hac vrbe natus.

Nascitur Wolfgangus Crellius v. 111. Calend. Sept. vir eruditus, & in carmine scribendo suavi ingenio.

## M D X L I I I I.

Ex hac

Ex hac vrbe è ministerio discessit, Iohannes Petreius,  
vitæ & doctrinæ spectatæ vir, qui nunc est Zuiccauiæ super-  
intendens, vt yetusto Isidori vtar vocabulo.

Obiit Henricus Faustus, prosocer postea meus, 111.  
Non. Decemb. initio versatus in quæstura illustri, tum  
multos annos functus munere consulari, amans sobrieta-  
tis & disciplinæ, & indefessæ vir diligentie, patria Rímagó  
natus.

## M D X L V.

Institutum est à duce Saxonæ D. Mauricio, rationibus  
iustis & necessarijs, iudicium Ecclesiasticum Misnæ, x 111.  
Cal. Martij, præsidentis loco fuit Henricus Bunanus, qui  
Vuesensteinij habitat, vrbis huius præfctus. Affessores  
Vuenceslaus Neumanus Iurec. Iohannes Riuus, & Lau-  
rentius Schroterus superintendens. Iis causæ matrimonia-  
les, controuersiæ Ecclesiasticæ, iudicium de doctrina & sa-  
cramentis, cognitio de hæresibus, examinatio pastorum,  
eorundem confirmatio & reiectio, censura de eorum uita  
& moribus, principis illustris graui & seuero mandato, tra-  
dita sunt atq; commissa.

In foro nundinario domus mercatorum absoluitur,  
consule Nicolao Anesorgo, ædili Ambrosio Othobachio.

Constitu-  
rium Mil-  
nense.

## M D X L V I.

Hermano Vulpio in ludo illustri successit Georgius Fa-  
bricius, euocatus Argentorato. Cuius ludi hoc tempore  
est eiusmodi constitutio. Docentur trium linguarum, item  
trium artium dicendi fundamenta, cum Musica & Arith-  
meticæ præceptis: hæ traduntur libellis vulgaribus: præce-  
pta artiū è libro Phil. Melanchthonis, ad quos adhibentur  
auctores præstantissimi, in lingua latina Cicero, Terentius,

Ratio in-  
stitutionis &  
gubernatio-  
nis ludi illu-  
stris.

Virgi-

Virgilinus: in græca Isocrates, Xenophon, Plutarchus, Hesiodus, Theognis, Phocylides, distinctis temporibus, nā vno anno singuli non exponuntur, & Virgilio interdū substituit Horatius, interdum Ouidius, vt res fert, & captus adolescentulorum. Interij ciuntur apud paruulos historiæ sacræ, aut præcepta morum, explicata à Camerario, aut fabulæ Aesopi ab eodem. Repetitiones lectionum & exercitationes scribendi nunquā intermittuntur, vt & inspectio-nes morum ac studiorum. Hæc studia omnia præcedit doctrina Catechismi, quam breuissimè & diuinè præscripsit, vir sanctæ memoriarum D. Lutherus, & examen Phil. Melanchthonis, in quo doctrinæ sacræ, est quasi summa quædam accuratissimè cōpræhensa. Conciones in templis annotare, & recitare necesse habent. Néquis excusatione ignorantiae utatur, classibus singulis post examina, quæ uere & autumno instituūtur, præscribitur ordo studiorum, quid dieb. certis, & horis singulis, & publicè audiendū, & priuatim repetendū sit. Preces fiunt cùm surgitur, cùm in lectionem itur, aut inde exitur, cùm ad mensas acceditur, aut redditur, cùm cubandum surgendūq; est. Adebat pueris semper inspector, vel è præceptorib. vnuis, vel ex ipsorum numero aut decurio, aut classicus. Tres iudos illustres inspiciunt mense ferè Augusto, ambæ Academiæ Lipsiensis & Vitebergia. Pueros & adolescentulos nominādi potestatem habent: nobilitas, ciuitates, ac certa oppida, partim iure patronatus, partim benignitate Illustriß. Electoriß: ex ijs qui nominantur, nemo infra annum vndecimū sit, nemo quintum decimum excedat: etymologiā & Syntaxin nouerint, ratione ætatis. Aluntur per sexennium, qui probi & modesti fuerint, & qui progressi sunt liberaliter, spem ducalis habēt stipendij. Victus ratio eiusmodi est, vt in prædio dentur, fercula quatuor, antecedat ientaculum: in cena fercula tria, præcedat merenda, sequatur potus ante somnum. Præter hæc pueris quatuor, vnuis pannus Misnensis datur annuatim in vestem,

&amp; singu-

& singulis anni quadrantibus, calcei. præscriptum est Oeconomo, qui rem curat familiarem, quid eius curæ & officij sit : præscriptum item professoribus, præscriptum denique discipulis : & quicunque suo munere fideliter ac legitimè fungitur, gratum sine dubio facit Deo, & suæ meminit conscientiæ, & præclarè meretur de adolescentia. Sunt autem in genere adolescentulis eiusmodi leges præscriptæ.

## MANDATVM DEI.

DEVTER. XXXI.

Leges verba legis huius coram omni Israël, audientibus eis, & in vnum omni populo congregato, tam viris, quam mulieribus : paruulis & aduenis, qui sunt intra portas tuas, vt audientes discant, & timeant Dominum Deum vestrum, & custodiant impleantq; omnes sermones legis huius.

AD EPHES. VI. EXOD. XX.

Filij obœdite parentibus vestris in Domino, nam id est iustum. Honora patrem tuum & matrem : quod est præceptum primum in promissione : vt bene tibi sit, & sis longævus in terra.

DEVTER. XXVI.

Maledictus qui non honorat patrem suum, & matrem suam.

AD EBRAE. VLTIMO.

Obœdite ijs, qui præsunt vobis, & obsecundate: vigilant enim ipsi pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri: vt cum gudio hoc faciant, & non gementes, nam id est vobis inutile.

PROVERB. XXVIII

Qui subtrahit à patre suo, vel à matre, & dicit,  
hoc

198 ANNAL. V R B I S M I S N A E  
hoc non esse peccatum , particeps homicidæ est.

## SANCTIONES PIORVM.

### NOË TOTI ORBI TERRARVM.

T I. P E T. II.

Deus primo mundo non pepercit , sed o & tanum Noë , iusticiæ præconem seruauit , diluuium mundo impiorum inducens.

### I O S V A P O P V L O.

I O S V A E X X I I .

Obseruate diligenter , vt diligatis Dominum Deum vestrum , & ambuletis in omnibus vijs eius , seruetisq; præcepta eius , & adhæreatis ei atque seruiatis toto corde vestro , & tota anima vestra.

### D A V I D S O L O M O N I.

P R O V E R B. I I I I .

Teneat eloquia mea cor tuum , custodi præcepta mea , & viues. Principium sapientia : arripe illam , & exalabit te : extolleris ab ea , cum eam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo sertum gratiosum ; corona decora exornabit te.

### T O B I A S F I L I O.

T O B. I I I I .

Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum , & caue , ne alicui peccato consentias , & prætermittas præcepta Domini Dei nostri.

Agur

## AGVR DISCIPVLIS.

## PROVERB. XXX.

Oculum qui subsannat patrem , & contemnit doctrinam matris suæ , effodiant eum corui torrentis , & deuorent eum pulli aquilæ .

## LEX PRINCIPIS.

Pueri nostri in primis amare & religiose colere , adorare , inuocare debent patrem Domini & seruatoris nostri Iesu Christi , filij ipsius : qui sanctum spiritum largitur creditibus verbo suo .

Nostrí pueri omne scelus flagiciumq ; & omne siue naturæ seu prauæ consuetudinis vicium ab iijciunto & emendando , & coërcendo cupiditates pueriliter exultantes .

Vetamus usurpari blasphemias , maledicta , mendacia , furta , ebrietatem , crapulam , ludos iocosq ; turpes ac scuriles , obscena dicta , & quicquid manifestam atque animaduertendam turpititudinem continet .

Contumaces & malos primùm vindicta diuina corripiet , deinde & nostra seueritas vlciscetur : cuius , eos quib . administratio & cura scholæ nostræ commissa est , diligentes executores constituimus .

Vestes omnes forma usitata , non scurrarum aut militum more fieri curanto : armorum nullo genere cincti fungo .

Qui domum ad parentes proficiscuntur , ultra octo , & ad summum dies quatuordecim ne absunto .

## DECRETA MAGISTRORVM.

Omnis iussa præceptorum studiose & accurate exequuntur ,

quintor, ijs inscientibus è lectionibus & collegio ne abeunt.

Rixas & altercationes ne usurpanto : offendionum atq; odij causas nulli præbento.

In templo sacris reuerenter astanto, conciones piè attenteq; adiunto.

Manè dato signo surgunto, libros compositos habento, strepitus, turbas, clamoresq; quibus aliorum studijs obstant, ne excitant.

Ante & post cibum preces dicunto, & cum preces fiunt, cuncti assunto.

In ludo, suo quisque loco & ordine sedento : lectione finita, sic vt modestos decet, cubicula petunt.

Si eunt in publicum, exemplum liberalis & grauis disciplinæ præ se ferunto.

Sermone tam apud magistros, quam socios latino semper vtuntur.

Ad choreas & lustra ebriorum ne accedunto, foris ne cubanto.

Ad lectiones antequam accedant, ea quæ audienda sunt, inspiciunto & relegunto.

Ordinem studiorum quid singulis sit horis faciendum obseruant, necessario annotanto, usum scribendi nunquam omittunt, memoriam alsiq; excent.

Magistratus, Theologos, præceptores, 'alios viros honestos, honore & reuerentia prosequantur.

Huc usque relatæ leges scholasticæ.

Eodem anno translata huc Academia Lipsiensis est, propter tumultum bellicum, quo Lipsia grauiter est obfessa, Rector erat Constantinus Pflugerius.

In vico Albino, ædibus Thomæ Fabri Quæstoris, puer infans negligentia ancillulæ, de superiore fenestra, membris illæsis decidit, non sine miraculo.

Lapsus  
pueri.

Die

## M D X L V I I.

Die v. April. Dux Elector Iohannes Fridericus Misnam capit deditio[n]e, die secundo post lustrat aditum Dresdæ, manu exigua, quarto capit oppidum Hanam. Cum h[ic] in suburbio Figulorum, manipulus militum incautius tractaret puluerem tormentarium, illi ipsi omnes vehementer laesi sunt.

Die x v. pueri nobiles e[st] ludo illustri tres & viginti, Goldaccaro Turingo suadente, tanquam obsides, nau[is] hinc mittuntur Vuitebergam.

Die x i x. cum de Cæsar[is] aduentu nunciaretur, & vexillum Cæsarianum, à nescio quo captum, omnibus inopinantibus in urbem hanc importaretur, Iohannes Fridericus castra ex urbe ultra Albim transfert, in collem pagi Zeilæ. Mili[ti] autem eius persuadere nemo potuit, adhuc in viuis esse Cæsarem.

Biduo post incenditur pons sublicius, ne Hispani transirent, & ipsum assequerentur. In itinere tamen à Caroli v. exercitu impeditus, & Mulbergo fugatus, in saltibus Lochauianis, ipse & Ernestus Dux Brunsuigius pugnantes capiuntur. Eius maximus natu filius vulneratur, sed manus hostium euadit.

Deditio[n]em urbis huius ix. Calend. Maij, rursus petunt pauci equites Hispani & Vngari, quæ dies septendecim in potestate hostili fuit.

Basilica v. Calend. Maij de cœlo tacta, hora quinta pomeridiana: turres tres, tectum, campanæ, organum consumpta incendio: cum eodem die mane circa septimam essent actæ gratiæ de capto Iohanne Friderico. Tacta etiam turris templi diuæ virginis in urbe, sed huius flamma statim restinguitur. Nullum aliud fulmen aut antecessit, aut est secutum. Arx principis prope basilicam, à cinibus seruatur.

Elector  
Saxonie ca-  
pitur.

Eodem anno in profecto Pentecostes, obit reuerendus vir Valentinus Scriba, huius vrbis pastor, qui eadem hora efferebatur, qua rex Ferdinandus vrbem ingrediebatur. Tumulus Valentini hac inscriptione notatus, in publico extra vrbem cœmeterio,

*Scriba Dei verbum lingua factisq; professus,*

*Hac inter sanctos nunc requiescit humo:*

*Cumq; pijs regni cunctis est illius hæres,*

*Quod peperit natus per tot acerba Dei.*

Transiuit eodem die, equitatus Pannonicus, & Boëmicus & die ipso Pentecostes rex Romanorum quiescens, operam sacris dedit.

Eadem æstate tacta arx Vurcinæ, cum ibi præsens esset præfus, & Hieronymus Ziglerus eius præfectus. Errant qui Bernardum Ziglerum Theologum ibi fuisse, & cum præfule consultasse scribunt.

Egidius Mechlerus Franciscanus in hac vrbis natus, & superstitionem fugiens, docuit Erfurdia: qua in vrbis moritur, die Lucæ, quo nomine pater eius appellatus fuit. Hic fratrem suum Franciscum euocauit è monasterio Torgano, qui Christi Euangelium in pago Ritnorthusano, diœcesis Gothanæ, annos nouem & triginta docuit, & propter fænestrutem, muneris vacuitatem cum alimètis impetravit.

Laurentius Hofmanus Francus, primus ludi illustris Musicus, cum annos quatuor fideliter suum fecisset officium, obit ix. Cal. Nouemb. in choro templi Afrani tumulatus, cui discipulus Michaël Cuspidius, tale scripsit epitaphium,

*Hic iaceo Hofmanus, cantandi clarus ab arte,*

*Misniacæ quondam portio magna scholæ.*

*Francia nascentem, morientem Misnia vidit,*

*Dantem operam studijs Leucoris ipsa bonis.*

*Deseruit terras, cum nondum lustra peractæ*

*Actatis, capi sex numerare meæ.*

*Si vi-*

Si vitam queris, placuit mihi semper honestas,  
Et studii mores composuisse meos:  
Sedulius impositum munus sine crimine gessi,  
Primaq; cura mibi de pietate fuit.  
Hac, quod debetur morti, sub mole quiescit,  
Pars melior cœli regna beata tenet.

## M D X L V I I I.

Habetur h̄ic conuentus, in quo quid de libro Augusta  
no, qui Interim inscribebatur, quem Cæsar ordinibus im-  
perij obtulerat, Theologi sentirent, scripto exposuerunt,  
errorumq; refutationem ediderunt, viri illustres & veneran-  
di D. Georgius princeps Anhaltinus, Philippus Melanch-  
thon, Casparus Cruciger, Iohannes Forsterus, Antonius  
Lauterbachius, Daniel Greferus.

Liber la-  
terim impro-  
batus.

Pons super Albim reparatur, quem Georgius Recra-  
dus Electoris tribunus incenderat. Numerus anni hoc di-  
sticho exprimitur,

Pons repa-  
ratus.

Mauricius Princeps, atque ingens cura senatus,  
Incensi instaurant hoc graue pontis opus.

Architectus fuit Vrbanus Besler, ciuis Misnensis.

Infans in lucem editur, dimisa fronte & cranio, sine la-  
bijs, sine aure dextera, oris loco exiguum habens fora-  
men, sine manibus & pedibus x v i i i. Cal. Maij, diem in-  
tegrum non fuit superstes.

Partus  
monstruosus.

## M D X L I X.

Dux moniales peregrinae, Christina Falcneria & Apol-  
lonia Mollerina Mulbergum ituræ, in Albi cum autiga

Mors in-  
digna.

pereunt vi. Non. Martij.  
Turris templi Mariani, quæ fulmine taœta fuerat, men-  
se Julio cæpta instaurari, de eadem vi. Calend. Octobris,

O 2 ynas

vnuſ ex operarijs decidens, cerebro illiſo moritur.

Iohannes v i i i. præſul, vitam cum morte commutat  
prid. Calend. Decemb.

Georgius Vualdclingerus consul obit i i i. Non. De-  
cemb. anno ætatis octuagesimo quarto.

Hiems acris, & niuosa.

## M D X L.

Nicolaus  
II præſul.

Nicolaus II. de gente Carolouiciorum, præſul Misnæ  
creatur. In canonicatu ſucceddit Carolo Milticio, qui in  
Rheno ſubmersus eſt, factus deinceps archidiaconus Niſi-  
censis: electus præſul x viii. Cal. Febr. præſente Julio Pflu-  
go præſule Numburgano. Huius temporibus vir nobilis  
Ioachimus Kneutlingus Iureconf. à Sebastiano Pignino,  
præſule Sipuntino, legato ꝑ pontificio, Auguſtæ impetrat,  
vt Canonici, quos Lipsiensis Academia vetere iſtituto  
Misnæ, Mersburgi, Citij nominat, non necesse habeant aut  
ſtatutam alijs pecuniam ſoluere, aut ad tempus reſidere:  
propterea quod docendo profitendo ꝑ ſtudiosis in Academ-  
ia operam impendant.

Iohannes Schleinicius Serhusius, vir pietate & pruden-  
tia ſpectatus, obit Dredæ i i i. Cal. Febr. anno ætatis  
x l v i. Tale habet in templo Afrano cenotaphium,

Serhusium domus eſt, clari virtute parentes,

Nomen Iohannes, gens mihi Schleinicia.

Mors eſt viſa quies, aliam ſcio ſperoꝝ vitam,

Hic cinis ipſe, nouus quando futurus homo eſt.

Hoc posuit pietas fratrum officiosa ſepulchrum:

Mens & amor nobis quatuor, vnuſ erat.

M. Martinus Teſtander pastor Misnensis, & i i i. vir iu-  
dicij Ecclesiastici, quod vtruncꝝ munus obire graue ipſi  
eſſet, locum mutat, mense Iunio, Zittauiam hinc profectus,  
adhuic ibi munere Ecclesiastico fungitur.

Nauis mergitur in Albi, gubernator interit, ſocij qua-  
tuor feruantur, Cal. Nouem.

Infans

## M D L I.

Infans puella quinto ante partum die, in aluo mater-  
nā claros eiulatus edit x v. Cal. Nouemb. annum dimidi-  
um est superstes, demum ex anthematis puerilibus, seu ro-  
(vt vulgo vocant) morbillis, sanguine per totum corpus  
fluentibus obit, de quo prodigo extat nostra ad Philip.  
Melanchthonem elegia. nam in baptismo fide iubendo af-  
fui, cum vxore clariss. viri D. Iohannis Chentmani. Secu-  
ta biennij pestis.

Fletus in-  
fantis in vte-  
ro

Bis parelii visi x i i. Cal. April. & x i i i. Cal. Ianuar.  
Secutum bellum contra Cæsarem.

Parelii.

Mulier fulmine exanimatur x. Cal. Junij, Tempestas  
imbrium & fulminum tribus horis durat v i i i. Id. Junij.

In pago Vucinpyhela, quasi vini collem dicas, domus  
multæ cremantur. E flamma & fumo Draco ignitus, vrbem  
versus euolare visus est, qui trans Albim longos tra&tus du-  
xit, diu conspiciendus. Eiusmodi Dracones ali à beneficis,  
quibus ad furta vtantur, vulgi opinio est.

Draco i-  
gnitus.

## M D L I I.

Bernardus Ziglerus vir nobilis, qui natus erat in hac  
viciinia, pago Ziglerorum Gaernitio, Theologiae doctor &  
linguae sanctæ professor excellentissimus, moritur Lipsiæ  
i i i i. Non. Ian. anno ætatis l v i. plurimum à literarum  
diuinarum, in quibus excelluit, studiosis desideratus. Au-  
diuit adolescens Lipsiæ Antonium Margaritam Ebraeum.  
Ziglero scripsit epitaphium poëta præclarus Adamus Si-  
berus,

*Nobilis antiquo proauorum stemmate, longè*

*Nobilior veri cognitione Dei :*

*Bernardus situs hoc post fata suprema sepulchro*

*Ziglerus, tegitur corpus inane solo.*

Fecerat hunc error monachum : sed gratia Christi  
 Reddidit eximia religione virum.  
 Qui lupus ergo prius fuerat , mutatur in agnum,  
 Pastoris sequitur iussa pedumq; sui.  
 Doctrinam calamo veram , linguaq; professus ,  
 Qua docuit cura , sedulitate , fide ?  
 Sermonis , sacræ quo scripta volumina legis ,  
 Non habuit quenquam cognitione parem .  
 Hunc cum Leucoreo coluit Philyraus elister  
 Albi , nunc raptum mæstus vterq; gemit .  
 Ossa premit tellus , mentem felicia testa ,  
 In sedes Christus transtulit athereas .

Maternus Badehornus iuuenis eximus D. Leonardii  
 Iur. frater , anno ætatis trigesimo & secundo moritur Lipsiæ  
 prid. Cal. Maij. in illustri quæstura. Cùm dolores acer-  
 Lapilli in corpore hu-  
 mano. bos tota ferè ætate sensisset : post mortem sectum corpus  
 est , & in vesicula fellis duo & viginti lapilli inuenti , dispari  
 magnitudine , & angulati , subluteo colore omnes : quos  
 vidit D. Iohannes Chentmanus , & in libro de calculis , in  
 corporibus hominum inuentis , facit mentionem .

Terræmo- Tractus montium Sudetarum crepusculi tempore xii .  
 tus. Cal. Maij , cum locis vicinis motu terræ concutitur , quem  
 hæc vrbs mediocriter sensit .

Philippus Mullerus , in ludo senatorio Musicus , pestis  
 tempore , mortuo in ludo illustri , Georgio Zauschio Dia-  
 cono cum vxore & sex filijs , eius in locum succedit , 111 .  
 Non. Septemb. Ludi pastor eo tempore erat , Iohannes  
 Terelbachius , cuius domum etiam pestis inuasit , sed Dei  
 bonitas vxorem ipsi saluam restituit .

Catharina Vuencelai Numani Iureconsulti vxor , un-  
 deuiginti liberorum parens , matrona honestissima , mor-  
 bo subito extinguitur xii. Cal. Junij .

Dimisi sunt pueri ludi illustris xiiii. Cal. Iulij , pro-  
 pter contagionem pestis , quæ famulæ Oeconomi inuaserat .

In vi-

In vico superius nominato, de superiore domus parte  
Petri Pelicij pistoris filia infans cadit, & non laeditur.  
Puellæ la-  
plus.

Peste circiter duo millia hominum extinguntur, cum  
lues inciperet mense Iunio, & ad finem usq; anni duraret.  
Mulier in morbo, Agatha Altermana, per quatriduum  
sudat sanguinem, & quoties de fronte detergeretur, aliæ  
guttulæ eruperunt, moritur xii. Calend. Octo-  
bris.

Fuit vini, frugumq; tanta abundantia, ut vasa ad con-  
dendum deessent.  
Copia fra-  
mentorum.

Iohannes Gengius Hornhemius Chymiae & artis phar-  
macopæa studiosiss. obit xii. Cal. Ian. biennium ante su-  
um herum Carolum Leuschnerum, cui annos seruuit tri-  
ginta.

### M D L I I I.

Ipsis Calendis inchoantibus hunc annum, obit vir cla-  
rissimus, Iohannes Riuuius Atthendoriensis, cùm paulò  
antè sepelijset vxorem, & filium natu minorem, & ne-  
ptim, sepultus extra urbem, ante diui Wolfgangi fanum,  
cum tali epitaphio in lapide insculpto.

### I E S V C H R I S T O S A C R V : M.

Iohan. Riuio Atthendor. viro opt. & mag. mor. seue-  
ris. præclarè de præsentib. posterisq. merito, ornato à prin-  
cipib. culto ab eruditis, cum Anna con. & Paulo Fil. mor-  
bo populari extincto, hac terra condito Georg. Fabricius  
Chem. Præceptorí suo incomparabili. Obiit Cal. Ianuar.

M. D. L. I. I.

### D O M I N V S A D I V T O R I N O P P O R T V- N I T A T I B V S.

Eodem anno tempestas violenta v. Id. Ian. fuit, qua Tempe-  
stas.  
O 4 villa

villæ incensæ, ædificijs & siluis clades illata. MOX VIIII.  
Id. Martij nix profundissima & diurna.

Matthias Marcus Dabercusius olim præceptor, tunc collega meus, Suerinum ad ludi gubernationem vocatus, hinc discedit VI. Id. Iunij.

Michaël Schleinicens, illustris Ducis Saxoniæ Augusti adolescentis, olim Mareschallus, in pugna Hildeshemia prope Peinam multis affectus vulneribus, & æneo tormento iecus oppedit. Idib. Iulij in templo pagi Siuershusij cum Caspare Milticio, vno sepulchro conditus, anno ætatis XLVII. In Afrano eius cenotaphium,

*Pro patria pugnans iustis Michaëlus in armis,*

*Pro patria cecidit vir generosus humo.*

*Donec erit virtus laudi, laudabitur ipse,*

*Inter præstantes gloria rara viros.*

*Siuershusa tenet corpus, mens incolit astra:*

*Schleiniciae gentis fama decusq; , vale.*

**Terræmo-** Tractus ad Albim XVII. Cal. Septem. inter septimam & **tus.** octauam vesperi terræmotu quatitur, quo cacumina ædificiorum ita commota, quasi desuper omnia corruerent: quod genus arietationem ut puto nominant, philosophi & historici.

Mense Maio in ludum illustrem redire iussi adolescentes, qui pestis causa dimissi erant, iamq; anno integro abfuerant. Erigitur iuxta alius ludus, in quem ex Academia Lipsiense studiosi Theologiae translati sunt. Ante quam ædificium, in quo habitaturi essent, extrueretur, apicum examen ipso meridie aduolauit, & in hortulo vicino de pruno arbore pependit, sed colligi in alueare non potuit, statimq; dissipatum est. Primam concionem ad populum habuit, prima aduentus feria M. Laurentius Rulichius, qui ludo Theologico præterat.

Pridie Idus Nouemb. Sigismundus Badehornus, Leontardi Jur. pater, obit, qui in templo Mariano hoc habet epita-

epitaphium. Tabulam pinxit Lucas Lucæ F. Cranachius,  
patre summo artifice non inferior,

*Sigmundi lapide hoc Badehorni membra quiescunt,*

*In natis cuius vita superstes adbuc.*

*Ipse fuit patriæ fidus prudensq; senator,*

*Cumq; sua vixit coniuge lustra nouem.*

## M D L I I I I.

Iohannes Rosbachius illustris ludi primus oeconomicus,  
anno decimo administrationis, v 11. Id. Febr. vitam clau-  
dit, conditus in templo Afrano, cum hac tumuli inscripti-  
one,

*Ad passum quisquis suspirat pectore Christum,*

*Propitium votis sentiet esse patrem.*

*Hoc ego Rosbachius dimisso crimine testor,*

*Cui venia, in Christi sanguine, multa fuit.*

Hic fratri duos filios aluit suis sumptibus in Academia Vi-  
tebergia, Iohannem & Nicolaum Rosbachios: ille mor-  
tuus Lomacij in ministerio, hic Mersburgi adhuc docet in  
templo cathedrali. Ei successit in Oeconomia Iohannes  
Faustus, Henrici cos. Misnensis filius, paulò post factus so-  
cer meus.

Christophorus Leuschnerus Medicus patri suo, tale  
posuit in tabula picta monumentum, Carolo Leuschnero,  
primo huius urbis pharmacopæo, & Dorotheæ matri Er-  
furdianæ, Christophorus Leuschnerus D.F. & Anna Othen  
bachia filia, pietatis ergo posuere. Obiit m. D. L I I I I. men-  
sis Maij.

D. H. M. post meridiem.

30 9 30.

post meridiem.

Tempore postmeridianæ, dimidio à Misna milliariorum  
occasum versus, mense Octobris multi greges vespertilio-  
num per agros errarunt, duobus diebus: cùm id animal

Vesperti-  
liones.

O 5 minime

minime gregarium sit, & non nisi crepusculò volare soleat.

Valentinus Scheinus obit Cal. Nouemb. vrbis scriba: qui reliquit filium Calixtum Iureconsultum, inclitæ vrbis Lubecæ in Saxonia Doctorem, & ad Cæsarem, regem Danie, aliosq; principes legatum, virum grauem & disertum.

Castellum fontis in vrbem deducti, ante ædem Marianam, è lapidibus extruitur.

## M D L V.

Parelii.

Visi parelij mane circa octauam prid. Id. Ian. qui obscura nube statim contecti sunt. Iterum IIII. Cal. Ian. tempestas ventorū & fulgurum per hanc totam ditionem fuit: multa templa, multæq; arces de cœlo tanguntur.

Georgius Schleinicius Schiricius, trium Ducum Saxoniæ consiliarius, virtute & experientia multa præditus, qui Palæstinam adolescens adierat, Dresdæ moritur x. Cal. Febru. ætatis XLI, ibidem conditus. In Afrano tale habet cenotaphium,

*Nobilitas, & opes, & clari fama laboris,  
Et studijs mores excoluisse bonis,  
Magna viro laus est: sed nil præclarius illa,  
Quam patriam, & verum quam coluisse Deum.  
Layde bac, Schleinicia de gente Georgius ortus,  
In vita fuerat, morteq; clarus erit.  
Hunc tumulum nati caro posuere parenti,  
Et dulci coniunx officiosa viro.*

Ludus Theologicus tollitur, & adolescentes stipendiati Lipsiam remittuntur. Quid Apium examen portenderit, declaratum est. Maiorum sapientia statuit, eas professiones, quæ ad Ecclesiam & Rempub. conseruandam, & ad publicam concordiam stabiliendam pertinent, in locis celebribus

lebribus, & magna doctorum frequentia esse exercendas.

Wolfgangus Eilenburgius ludi senatorij administratio-  
nem accipit xvi. Cal. Iun. Eius nunc collegæ sunt Thomas  
Faber Fribergius, vir eruditus & diligens, & poëta pius:  
Georgius item Ditericus, & Sigismundus Badehornus ci-  
uium filij.

Hortum suum cœpit colere D. Christophorus Leusch-  
nerus, eumq; ornavit mediocri ædificio, & muro lateritio  
cinxit. Culturam plantarum primum exercuit Torgæ in  
horto honoratiss. viri Ioachimi Kreichij, deinde in patriam  
suam, vrbem Misnam, tanquam in coloniam transtulit plan-  
tas & arbores: quas propter studiosos homines, ad finem  
huius scripti, nominatim adjiciemus.

Defuncto Nicolao ii. præsule, eligitur Vurcinæ 1111.  
Cal. Iun. Iohannes ix. de gente Haubitia, qui modò ex Ita-  
lia venerat.

Inter spacium non planè annuum tres moriuntur pon-  
tifices, Iulius i 11. & Marcellus 11. Etrusci, & Paulus 1111.  
Neapolitanus. Contra hunc præsulem Iohannes Caro-  
louicius, controversiam mouet triennio post, in qua ciues  
aliquot Vurcinenses occisi, & præsul ditione exutus est:  
quæ violentia ne progrederetur longius, illustriss. Saxo-  
niæ Elector, Dux Augustus, motum sedauit, diœcesem  
Stolpensem permutauit cum Mulbergia, & ditionem reli-  
quam integrum restituit.

Vir venerabilis Lucas Vuesener, ex Afrano Canoni-  
co, vrbis Diaconus, obit v. Idibus Decemb. ætate ad-  
modum prouecta.

Iohannes  
IX. præsul.

Tumultus  
contra præ-  
sulem.

## M D L V I.

Civis Glashuttensis lembo præteriens, non soluto nau-  
lo, prid. Cal. Martij submergitur.

Cometa visus à die 111. Non. Martij, usq; ad ultimum A-  
prilis.

Comera. prilis. Secuti tumultus Turcici & Liuonici, bellum Vngaricum, prælia Italica & Gallica.

Cœmpterium in vrbe prope ædem Marianam humo effossa cœptum contrahi, ad eam planiciem dilatandam, qua ad res venales ciuitas iam ytitur.

Domus ciuiis cuiusdam è regione Fori à Fœminis dicti, versus portam Iudaicam seu Lanarium, vetustate corruit, familia & liberi per fenestras seruati: focus ardens & iam iam ligneos parietes corripiens aquis restinguitur.

*Cedes in-  
digna.* Serrarius quidam ad eandem portam iuxta templum habitans, tormento bombardico ministrum suum incautus traijcit xi. Cal. Septemb.

Obiit Erfurdiæ v 111. Cal. Septemb. vir venerabilis, in hac vrbe natus M. Sebastianus Steuda, iam septuagenarius, qui docuit Magdeburgi, in Vallibus, in patria, Numburgi, Erfurdiæ. Diaconatus primùm gessit: sed Magdeburgi successit, ad S. Spiritum Iohanni Fricehansio pastori: in Vallibus Wolfgango Callisto: Erfurdiæ, doctori Iohanni Langio: Misnia & Numburgo pressus calumnijs cedere cogebatur.

*Primi sli-  
pendiarii e  
ludo Mis-  
nensi.* Eodem anno ix. Cal. Septemb. adolescentes sex stipendiarij ludi illustris, primùm Lipsiam missi sunt. Hieronymus Magdeburgus, qui in aulam Ludouici Hessiæ Land grauij venit, Gregorius Bersmanus, qui in ludo Portense docuit, poëta suauis: tres in ministerio Ecclesiastico versantur, Iohannes Siglicius, Antonius Reichius, Andreas Agricola.

Incendium in domo Christophori Pflugeri cos. suscitatur, v 111. Calend. Septemb. cuius ædificium posticum crematur. Iohannis Fritschij Syndici Misnensis domus contigua conseruatur. Hic & compater & affinis meus, in his Annalibus colligendis, suo studio & benevolentia plurimum mihi profuit, librosq; quos habuit, & alia liberaliter suppeditauit.

Vnius

Vnius anni spacio, intra domos ciuium, orta quinques  
sunt incendia, sed restincta sine detimento, Dei misericor-  
dis bonitate.

Calamita-  
tes auerſæ.

Vifæ træbes lucidae in parte cœli aquilonari, post solis  
occasum, Non. Septemb. Secutus inter Albim & Muldam  
terramotus, Cal. octob.

Terræmo-  
tus.

Cuius quidam ex ægritudine & errore animi contraxe-  
rat insaniam, in quo morbo de domus tecto se præcipitat  
1111. Calend. Decembris.

### M D L V I I.

Albis mense Ianuario bis frigore constitit: rupta gla-  
cie Cal. Febr. ita die altero excreuit, ut ædificijs vicinis, &c.  
cellis subterraneis plurimum daret damni.

Inunda-  
tio.

Ad iudicium Ecclesiasticum vocatus vir clarus, & emi-  
nens D. Iohannes Embden viri ornatiſ. Leuini Iurec. &  
cos. Magdeburgij filius, qui adhuc præfet cum auctoritate.

Mensibus Septembri & Octobri arbores & plantæ, de-  
nuò flores emittunt: fraga matura de cerpuntur 1x. Cal.  
Octobr. rosæ, x vi. Calend. Nouemb. Morbus epidemi-  
cus passim grassatur catharro, thussi, raucedine.

Superfe-  
tatio.

### M D L V I I I.

Infans in vtero materno ter claros eiulatus edidit,  
matre intemps audiente conciones 1111. Non. Ian. Men-  
se altero infans editur in lucem incolumis.

Infans plo-  
rans in vte-  
ro.

Sophia Leonardi Badehorni Iureconsulti mater, v 11.  
Cal. Mart. obit, quæ tale habet epitaphium,

Hic tumulus Sophia est, Badeorno iuncta marito,

Quæ ter quinque thori pignora casta dedit.

Illa fui sexus decus, hac bene vixit in yrbe,

Et nunc in cœlis pignora chara videt.

Iohan-

Iohannes Fabricius filius meus primogenitus obit  
prid. Idus Martij, cuius tumulo est hoc distichon inscri-  
ptum, D. O. S.

*Vixi quinque dies: viuo nunc omne per auum,  
In Christo factus rursus imago Dei.*

\*

*Mors mea, vita mea est.*

Partus  
monstrosus.

Nascitur x Calend. Iulij infans monstrosus, qui in capite carnosos flexus habuit, vt nunc ingentes spiræ mulierum solent esse, quibus reticula & flammeola impo-  
nunt.

Cometa.

Cometa visus v 111. Idus Augusti, durauit usque ad  
v 111. Calend. septemb.

### M D L I X.

Casus pue-  
ri.

Filius Simonis Cramerii senatoris, de fenestra, in vico,  
quem ante bis nominauit, cecidit, primum impingens bra-  
chio in valuam fenestræ inferioris, & porrò in viam cadens  
silice stratam: sine laesione tamen alicuius membra.

De his ternis liberationibus libro Paeanum II. ita me-  
minimus,

*Hoc vidit vrbs, quæ nobili  
Prouincie nomen dedit,  
Una in platea, tres tribus  
Vicibus cadentes, Angelo  
Custode vitam ducere.*

Iohannes Krigmanus, qui Mauortium se nominauit,  
D D. Mauricij & Augusti Saxonie Ducum in puericia ma-  
gister fuit, pietate & doctrina præstans, pastor Colonien-  
sis ad Albim, moritur x v, Cal. Octob.

### M D L X.

In hac yrbe fuit ix. Cal. Augusti inclitus & illustris  
Prin-

Princeps Iohannes Albertus , Dux Megalopolensis , qui ludum illustrem diligenter inspexit , & ab Illustris Saxoniae Electoribus præclarè institutum , pro sua sapientia & iudicio excuso , magnopere probauit.

Georgius Commerstadius , Iurecons. in hac vrbe natus , Calcereuti arce sua moritur vi. Cal. Ian. Reinersdorfi in templo sepelitur. Excellente dignitate tota vita prædictus , & Ducum Saxoniæ quatuor consiliarius , fortunæ inter homines felicis exemplum.

Exemplū  
humanæ fe-  
licitatis.

Portentū  
cœli arden-  
tis.

Cœlum ardens visum 111. Cal. Ian. ab hora quarta matutina vsque ad sextam.

### M D L X I .

Obit 111. Non. Augusti vir reuerendus Iohannes Albinus superintendens , & 111 Vir consistorij , qui in his terris docuit annos tres & viginti. In expeditionibus Illustris. Ducus Saxoniæ Mauricij, Belgica, Vngarica, Sueuica, Saxonica, secutus castra est: vir fide & constantia singulari. Cui Wolfgangus Crellius Misnensis vir eruditus , pietatis ergò hoc scripsit epitaphium,

*Qualis Ieremias , lachrymis qui plenus amaris*

*Aspexit patriæ publica damna sua:*

*Talis eras Albine , malis exercite curis,*

*Dum sacrum , duro tempore munus obis.*

*Ab quoties furor , & rabies liuoris acerbi,*

*Officij cæptas detinuere vias,*

*Ab quoties fida Christum ne voce sonares,*

*Subdolus astuta restitit arte Sathan.*

*Sed tua te pietas , & mens sibi conscientia veri,*

*Iussit in aduersos fortiter ire duces,*

*Et meritum Christi sacro defendere verbo,*

*Tantus in ardenti pectore zelus erat.*

*At nunc , fessus uti duro certamine miles,*

*Arma*

*Arma solet, facta pace, referre domum:  
 Sic venerande senex, tua longo fracta dolore,  
 In terræ recubant moliter ossa sinu:  
 Exurgentq; iterum latae rediunia sub auras,  
 Venerit huic mundo quandò suprema dies.  
 Tunc tibi defensa reddentur præmia causæ,  
 Alba stola, & superum facta corona manu.  
 Inq; beatorum dulci latabere cœtu,  
 Pax ubi perpetuos floret amæna dies.  
 Interea dicat, tumulum quicunque salutat,  
 Hic sunt diuini Militis exuviae.*  
 Andreas filius meus quartus, obit x v i i i. Cal. Sept.  
 cuius tumulus sic inscribitur,      D. O. S.  
*Vivis in amplexu Christi, dulcissime fili,  
 Et quo latetur mens tua semper habet.*  
 \*
 *Soluo morte mea, Christi virtute resurgo.*

## M D L X I I.

Cœmterium extra urbem ampliatum, & à lateribus  
 additæ sunt porticus.  
 Nocte præcedente Idus Martias visum cœlum ardens,  
 tertio post consecutus typhon horrendus.

**Impostor.** Transiit hâc impostor ille Iohannes Vader Turingus,  
 v i i. Cal. Aprilis. Aderant fortè tum in eodem hospitio  
 legati Cæsarei, qui ei minabantur, se ad remos ipsum vin-  
 cturos, si ad Imperatoris aliquam urbem proprius accede-  
 ret. Eius fraus hypocritica & malefica est à Norinbergijs  
 depræhensa, in quorum vrbe virgis cæsus, atque ditione  
 expulsus est. Meminit eius nebulonis fraudulenti, in libro  
 de præstigijs Iohannes Vierus Medicus Cluensis, vir do-  
 cissimus.

Obit Cal. Maij Iansfridericus Grimillerus, & pietatis  
 & li-

& literarum studiosus, cui paterno mandato tale factum  
epitaphium in templo Afrano,

## D. I M M. S.

*Hunc pietas tumulum sibi vendicat, inde iuncta,  
Quæ vita in pueri conficienda fuit.  
Terra Boëma dedit vitam, Misena sepulchrum,  
Inq; Deo pacem Ianfridericus habet.*

Paulus Grimiller à Trebsco Iohanni Friderico F. P. P.  
P. P. Obiijt Cal. Maij ætatis suæ anno xv.

Eodem anno mense Iulio, cùm ebrius quidam per  
Pontem Albinum transiret, & obuijs malediceret, lapsu <sup>Maledicus</sup> perit.  
decidens, in aqua perijt.

Simon Pistorius Iurecons. habitans Suselicij, vno ab  
hac vrbe milliario, obit Non. Decemb. ducum Saxoniæ  
Cancellarius, qui talem habet ibidem in templo tumulum.

## D. O. M.

Simon Pistorius I. V. Doctor obiijt i i i. Non. Decem.  
Anno Christi M. D. L X I I . ætatis L X X I I I . pater libero-  
rum X X I I I .

Vita nostra fidei vita est, non contemplationis.

Simon Pistorius I. V. D. in erudita familia natus, ma-  
gnis honoribus functus, eruditos & honoratos linquens  
filios superstites, quem vrbs Papia docuit, patria Lipsia  
ornauit, aula Saxonica obseruauit, sub hoc saxo corpore  
conditur, animo viuit felicitate sempiterna. Obiijt anno  
M. D. L X I I . die i i i . Decemb. hora v. Pomeridiana.

*Conditur hoc tumulo Simon Pistorius, atque*

*A patre præclaro nomen auoq; tulit.*

*Saxonica vixit qui Cancellarius aula,*

*ultra quinque gerens lustra, regentis onus.*

*Ingenio præstans, studio indefessus, honore*

*Summus, consilijs utiles, ore potens.*

*Quod mortale fuit, tellus tenet, inclita fama*

*Nominis haud villo stat violanda die.*

## P. C. P. C.

Patri clarissi. filij modestiss.

Felicitas  
familiae.

Nicolaus Med.

Valentinus Schmidburg Medicus.

Simon I. Med.

Henricus Schmidburg Iur.

Simon II. Iur.

Iohannes Pfeil Med.

Christophorus Med.

Henricus Scheib Iur.

Modestinus Iur.

Materna de familia Aius, Annunciu-  
lus, Consobrinus Sobrinusq.

Eodem anno x i i i. Cal. Ian. Haupoldus Schleinicius  
Iohan. filius Condæo duci Gallorum militans oppedit: qui  
tale habet in facello Afrano cenotaphium,

*Haupoldum primis pugnantem vidit in armis  
Gallia, Schleinicia nobile stirpe satum.*

*Ante Trecas cecidit, dum perstat feruidus hostis,  
Signa nouans uno ter repetita die.*

*Quem sua gens, & quem mæsti fleuere parentes,  
Sed lætum cernent mox meliore loco.*

Blasius filius meus quintus, obit prid. Calend. Ian. x  
tatis mense septimo, cum hoc titulo. D. O. S.

*Gestauit teneris te sedula mater in vlnis,*

*Nunc manus excelsi te fouet alma Dei.*

\*

*Terrena vide, cœlestia crede.*

M D L X I I I.

Iter hâc fecit i x. Calend. Maij, vir eruditus & hone-  
stus Georgius Littaius, cum septem Polonis nobilibus,  
quibus ipse in Academiam Lipsiensem deducendis, erat ad-  
iunctus comes & Magister, cui tristissimus iste casus nec o-  
pinanti

pinanti accidit: nam ad Zettam fluminiolum, Lomacio vicinum, dum venisset, & adolescentes aliquot, animi causa iuxta currum ambularent: bombardam in curru emissutus, obuium ex improviso habet Valerianum Taschitium, unicam parentum prolem, cui frontem globo incatus traxit. Georgius licet inuitus factum commiserat, fuga saltem querit, in qua luctu & mesticia, ut aiunt, consumptus est: sed adolescentis altero die extinctus, in templo Lomacense sepelitur.

In festo Pentecostes mense integro Albis excreuit. Ab Aprile usq; ad Augustum, rarae aut nullae pluviae, sed tem- pore messis, multæ. Prouentus frugum difficilis.

Eodem anno obit mense Nouembri Nicolaus Mylius: viri clariss. Andreæ frater, qui in ludo Suerinense Musicam docuit, rectore Matthia Daberchusio.

M. Alexius Prætorius pastor Misniensis, prid. Id. Octobris moritur, vir bonitate, doctrina moderatione præstans, superintendens, & 111 Vir consistorij, cui tabula posita est cum historia Eliae & Elisei, quam pinxit Samuel Othobachius ciuis. Ei subscriptum bonorum ciuium desiderio, tale epitaphium,

### D. R E D E M T O R I S.

Cernis ut ignitis raptetur ad alta quadrigis,

Spectatus celsa mente, propheta Dei.

Sic quis Christus amor, quis Christum cura docere,

Ad cœli niues castra videntur equis:

Inter quos etiam nunc tu lætaris Alexis,

Addite cœlicolis pars veneranda choris.

Et quem Misniaca docuisti pastor in vrbe,

In claro illius lumine, latus agis.

D. Alexio Prætorio doctr. morib. Reu. de Eccl. opt. merito, ciues Misnenses grati pos. Obiit anno

Casus mi-  
serabilis.

ætatis x x x i x. Christi nati m. d. l x i i i. m. o. d.  
x i i i i. Concionem de eius morte in publicum edidit  
Wolfgangus Bemus, eius Diaconus.

## M D L X I I I I.

Hiobi Magdeburgij collegæ mei vxor, Dei & mariti  
obseruans obit x i i i. Cal. Maij.

In hanc vrbe a senatu vocatus pastor, venit v. Cal.  
Martij, reuerendus & doctiss. vir M. Casparus Eberhar-  
dus, constitutus simul i i i Vir iudicij Ecclesiastici: qui hoc  
tempore linguam Ebraeam Illustriss. Electoris mandato  
etiam docet in ludo illustri.

Nascitur in hac vrbe Christianus, Erasmi à Pforta viri  
nobilis filius, Cal, Aprilis.

*Pœna pro-  
vocatoris.* Marcus Schuttigius alium ciuem prouocans inermem,  
suo ipsius gladio, octo conficitur vulneribus, v i i i. Ca-  
lendas Augusti.

*Frigus.* Frigus. A mense Decemb. vsque ad Mart. anni alterius, frigus  
valde intensum.

Sigismundus & Georgius Kernij pescatores pater & fi-  
lius, haec piscium genera ex Albi numerarunt, quorum

I. Alij hospites sunt, qui è mari ascendunt, nec durant  
diutius, & tandem siderantur atque intereunt.

*Lachs / Efox.* Salmo barbarum est.

*Stöder, Sturio.* Item barbarum. Iouius Silurum,  
Curio Secundus Attilum, Rondeletius acipenserem esse  
putat.

Ziege vel Goltfisch, Vetula fluviatilis, Alausa  
Gesnero.

*Halbfisch, passer.*

*Lampret, Lampetra fictum.* Nic. Perottus, &  
Car. Figulus aiunt mustelam esse Ausonij.

*Neumann*

*Neunauge*, Mustela leuis.

*Wels*, Amia, vel (vt Gesnerus) Silurus, non  
vere.

Alij è fluminibus aut riulis inferuntur,

*Fore*, Aurata vel Variolus. Georgio Agricolæ  
putatur Salar esse Ausonij.

II.

*Aschen*. Thymallus, Ombra barbarum est.

*Olrupen*. Mustela Bellonij.

*Steinbeis* / Gobio fluviatilis.

*Babst oder Mullen*. Citharus.

*Smerling*, Turdi.

*Steinschmerling*, Turdi saxatiles.

*Eldris*, Bdella,

*Stichling*, Columbi.

*Schlei*, Scorpious. Gesnero tinca, nescio quam  
bene.

*Aal*, Anguilla.

*Weisker*, Mustela varia. Hic solus pisces emittit  
sonum.

III.

Alij proprij & quasi domestici sunt huius fluminis,

*Hecht*, Lucius.

*Carp*, Carpio, barbarum est, Carpa Erasmo,  
Cyprinus.

*Leiner vel Morfling*. Carpiones quibus neque  
lactes neque oua sunt.

*Streifbersing*, Perca.

*Raulbersing*, Perca minor, Agricolæ.

*Parme*, Mullus, Ciceroni barbatus, Barbus Au-  
sonio.

*Iesen*, Alofa vel Alausa, Claudianus, Obsonia  
plebis Alofas.

**Dibel** seu **Elten**, è gobionum genere.

**Rap.** Proprius piscis Albis, optimi saporis assatus, è genere Coracinorum. Capito fluuiatilis, Gesnero.

**Blehe** vel **Brasen**, Praesinus.

**Heseling**, Asellus.

**Geuser**

**Rotengel**, Rubelli.

**Zerten**

**Grundling**, Funduli.

**Ocklen**, Weissfisch, Alburni.

**Karas**, è carpionum genere.

**Oberkottigen**, Gobionis genus.

**Schneppefischgen**, Phoxini Gesnero.

**Krebs**, Cancer vulgo, verius locusta.

**Schnecken**, Cochlea bivalves, & turbinatae.

Addam etiam Auium nomina, quæ aut in ipso flumine viuunt, aut certè circa ripam versantur, quarum mihi copiam fecit, vir diligentissimus, Iohannes Chentmanus: & quas ijs nominibus appellaui, quæ mihi visa sunt aptissima.

**Brandgense**/

à colore nigricante: vt **Brandhirsch** / **Brandfuchs**.

**Blesling**/

è fulicarum genere, avis parua.

**Bachstelze** / **Wasserstelze**.

Saxonibus ein ackermencken, Motacilla, Iunco.

Flaua, à colore ventris,

Viridis.

**Eisnogel**, Halcedo, Ispis.

**Ente**, Anas

**Grosente**, Anas magna, Penelops: insigni collo propter colorem puniceum & viridem.

Mittelen-

Mittelente, Boscas, anas mediocris.

Krucentlein oder frichentlein, Querquedula  
Varroni, anas parua.

Löffelente, Platea. Item Breitschnabel, à lato  
rostro.

Langschnabel. Longirostra.

Rote ente. Glaucium

Tauchente. Mergus.

Mörente/wilde ente. Anas palustris

Weisse ente. à colore candido.

Bunte ente, à colore vario.

### Facke.

Gans. Anser, Gansa Plinio.

Löffelgans. Pandirostra

Schnegans, quasi nivalis

Schegans.

Schremgans. Phalocorax. Iunio.

Welsche gans. Anser magnus, Penelops. Quid enim excellit magnitudine, id Germani appellant Italum.

Stoppelgans, Chenelops. vt Trochus Ascaniensis existimat.

Wilde gans, quasi fera & peregrina.

Himmelzige. Vanellus. Capella Theodoro  
Gazæ.

Kranich. Grus. Auis Palamedis. Quæ Pygmeo  
sanguine gaudet auis, rex ranarum: iuxta apol-

gum.

Ribis. Gavia cinerea, Gesnero.

Mibe. Larus

Magnus, grosse mibe

Paruus, kleine mibe

Varius, bunte mibe

Gilius , cum pedibus rubeis , graue mibe  
Cinereus , cum pedibus puniceis , aschērsarbe  
mibe.

Albus , weisse mibe. Quorum hoc anno maxi-  
ma fuit copia , cūm rari aliās appareant , & tantum Martio  
atque Aprili mensibus.

Münchle , Curruga aquatica. Atricapilla Gazzæ.

Pilwendgen , Fliegenstecher. Cynclus , Lynx. Mu-  
scilega & Culicilega , quod muscas & culices insectatur.  
Rostro longiusculo , vox eius tenuis & quasi flentis. Anis  
veridica , nam quo loco ponit oua , ultra eum aquæ flumi-  
num non transcendunt. Ponit autem in ripa sub aliquo la-  
pide.

Nordämmel. Ardea stellaris , à colore & pun-  
ctis : à voce , Onocrotalus : alijs nominibus eine Mögk/  
vel ein Möschöfe / quod boatum vaccæ seu tauri imite-  
tur.

Racke , à Saxonibus Harbolle , Phalaris.

Reiger. Ardea , avis Diomedis.

Weis , candida , ætatis primæ.

Bunte , varia , ætatis adultæ.

Graue , cana , ætatis vltimæ.

Rote , ardea rubea.

Braun , punicea.

Santreiger , quasi dicas , harenaria.

Korsperling , quasi dicas , passer harundineus.

Storch. Ciconia.

Schwartzter storch , Ciconia tota nigra.

Schwalbe. Hirundo. Vide ad finem.

Schwan. Cygnus , Olor.

Schreiender schwän , quasi clamosus.

Schnetz , Salus.

Teucher. Mergus , quasi vrinator.

Magnus, catarractes, coruus aquaticus. Rostrum habet serratum, quibus pisces maiores secat per medium, ut vesci præda possit.

Niger, Wasseramsel.

Flauus.

Varius.

Teucherlein. Mergulus, Pumilio.

Tittiluen.

Wasserhünlein. Tryngas.

Wasserrabe. Vide, Mergus Magnus.

Wasserschwalbe. Apus.

### M D L X V.

Frigus remittit 1111. Non. Martij, cum graui aquarum incremento. Iugum pontis quartum à porta, glacie fractum, abripitur, quod refectum nunc est, & lapidibus extrectum. Erant in ponte mortales multi, quos Deus seruavit à periculo. Qui in parte vltiore remanserant, transire nauibus non potuere: & ideo Dresden plerique ibant, vt ex hac tipæ parte ad suos redirent. Docuit id adolescentis, cui in alterum diem mane nuptiarum celebritas erat constituta, qui vt in tempore aedesset, tutius iter Leandro Abydeno estingressus.

Metallicus quidam fontem trans Albim prope diui Bartholomæi ædem, purgare, altiusq; iussus effodere, subito moritur, aura correptus lethali, quæ Suada vocatur lingua vernacula, aér videlicet sub terris contentus & inclusus, qui cùm liber & perflabilis non sit, corruptitur, & fit pestilens. Colligitur in puteis aut antris aquarum, vt Varro nominat, statuarum. Aquis autem innatans & quasi inhærens, quamprimum mouetur, necat virulentia, vt fossores ysu membrorum adempto, confessim concidant.

Aer lethæ lis.

Chasma-

ta. Hac aestate columnæ ardentes, & multa chasmata in cœlo sæpius visa sunt.

Virgo quædam fatua puellam triennalem ex vrbe secum educit, cumq[ue] iuxta Trebisam iret, vbi riuis excreuerat, nudatam vestibus eam traducit, post in agro rursus induit. Fessa onere deponit miseram, cœlo pluuiio & ventis horrido. Manens in agro illa tota nocte, & dimidio diei sequentis ab adolescenti rustico reperitur, iacens in facie, ab eo portatur in villam vicinam Bisuitiam. Remissa ad parentes sollicitos, & interrogata quis sibi affuissest, dixit, albos catellos sibi fuisse custodiae. Factum hoc in die castorum angelorum.

Eodem anno obit, Nicolaus Spechtus, pastor ludi illustris, & 111 Vir iudicij Ecclesiastici, x 111 1. Cal. Octob. sepultus ante aram in templo Afrano.

*Mors Spechto requies nunc est, & patria cælum,  
Quæ bona Christe tuo possidet ille bono.*

In eius locum succedit vir reuerendus M. Iacobus Lechnerus, Lincio vrbe Austriae natus, qui prima vocatione profectus Norinbergam, ad diuum Laurentium docuit annos octo: altera Misnam, vbi docere hoc anno incepit prid. Decemb. Idem 111 Vir iudicij Ecclesiastici.

## M D L X V I .

Inunda-

tio. Non. Febr. vrbs Misna, quâ vicos declives habet, fuit nauigabilis, propter Albis inundationem, per tres portas cymbis & lintribus nauigatum est, Aquensem, Albinam, Laniam: per hanc etiam sic ibatur, ut nautæ vertices cogerentur submittere, ne supra impingerent. Duravit inundatio diebus nouem.

Eodem anno Non. Maij. obit in Iudo Suerinense, Nicolaus Sarctorius, hic natus: morbus fuit, pleuritis: manus, docere Musicam.

Arx Misnensis v i i i . Cal. Iunij de cœlo tangitur, hora  
tertia vespertina : tectorium camerae vnius crematur : fir-  
missima tigna tecti , & trabes iligneæ ita fissæ , vt loco fo-  
mitis esse possent. Fulmen per omnia conclauja perru-  
pit , super fenestras transiens , & infra easdem euadens , vs-  
que ad cellariorum fundamenta.

Excedit ex hac vita vi . Non. Iulij Magdalena , vene-  
rabilis & opt. viri M. Caspari Eberhardi natu maior filia ,  
annum duodecimum nata , præclaræ spei puella ,

*Irriguo floret veluti flos blandus in horto,*

*Demittitq; graui taetus ab imbre caput :*

*Occidit in teneris sic vernans Magdalisa annis,*

*In paradisiacis plantula vina rosis.*

Rabschicus pagus est Milticiorum , supra urbem Mil-  
nam , à sinistra viæ , quâ itur Fribergum ; ad eum in ripa Lapides  
tofacei. fragmentum Orycis inuentum , quod unicornu vocant ,  
estq; pro vero habitum . Ad eundem pagum mons est to-  
faceus : cuius materiæ sunt , terra , harena , marga , & suc-  
cus lapidescens : in eo tofo natura figuræ varias , fistula-  
rum , stiarum , columellarum expressit . Corium eius ,  
quod succo lapidescente superinducitur , colore album :  
interdum læue ac planum , interdum scabrum & filosum ,  
modò cerebri , modò vuarum specie turgidum . Ex eo ho-  
mines nostri vrunt calcem , & tofo ad muros , cementi vi-  
ce vtuntur . In eodem reperiuntur conchæ planæ & tur-  
binatae , & videntur folia alni impressæ , estq; lapis iste mi-  
nus friabilis . Colligenda manuum firmitas in Maximino  
Imperatore , qui senex lapides tofaceos , vt scribit Capito-  
linus , fricare potuit . Hæc prolixius narro , quia philoso-  
phus præstans Georgius Agricola , tofi huius sèpe memi-  
nit , De rebus fossilibus , in editione librorum suorum se-  
cunda .

In domo honesti ciuis Wolfgangi Beri , Wolfgangi cos.  
filij , Simonis Richteri ciuis filius , de superiore fenestra , Lapsus  
pueri. famulæ

famulæ negligentia decidit, primum offendens in plaustrum partem, inde cadens in viam siliceam: ne læderetur, defensus est custodia Angelica xv. Cal. Octob.

Bellica tormenta ix. Cal. Ian. hanc transueta sunt, ad obsidionem Gothanam, traducta per eos hortos, qui mensa Februario aqua fuerant profunda tecti, & usque ad ramos arborum nauigabiles.

## M D L X V I I.

Iohannes Slegelius in hoc oppido natus, vir integer & eruditus docet Bensenæ, in finibus Boëmia, patronum habens Fridericum Salhusium nobilem virtute & pietate præstantem.

Ditericus Schleinicius, Iohan. F. obit in castris ad Gotham, v. Cal. Aprilis sepultus Saltzæ in diui Bonifacij. Mil-

Ingenij præstans & nobilitatis honore,

Schleinicus titulos hic Ditericus habet.

Qui veluti viridi flos immaturus in agro,

Morte cadit, primum pralia tiro gerens.

Credit in Christum, cui se commisit, & eius

Vulneribus riuens, regna superna tenet.

Volfgangus Bemus, illustris dominæ Catharinæ, duorum Saxoniae Electorum matris, concionator austriacus. Eadem defuncta in patriam se confert, Ecclesiæ Misnensis diaconus, & professor linguae Ebraicæ primus, in ludo illustrissimus. Moritur xv. Calend. Iulij, ætatis anno secundo & quadragesimo. Ei succedit vir venerabilis Vrbanus Hantschmanus, patria Ortrantio genitus.

In hac urbe natus M. Iohannes, Iohannis F. Morticius, moritur x. Cal. Octobris Sunderhusix, generosi & fortissimi comitis Guntheri Suarceburgij concionator, integritate vita, & morum rectitudine eximia præditus.

Nuncius

Nuncius Torganus Dresda veniens, in pago Sornitio nauiculam auferat, ut domum fortasse citius veniret, sed in pontis Misnensis pilam impingens, mergitur **111.** Calend. Octobris.

## M D L X V I I I.

Difficultatem annonae huius anni, non prouentus frumentum malignus effecit, sed hominum auarorum execranda Caritas ex conspiratio: de quibus scriptum est, viscera impij crudelia sunt.

Obit **xv.** Cal. Martij anno etatis quinto & septuagesimo Gerdrudis Mollerina, ludo puellari praefecta, matrona pientissima, quae docuit in hac vrbe Catechismum & preces annos tres & viginti. Cum hoc dicto Dauidico vitam posuit, IN TE DOMINE SPERAVI, NON CONFUNDAR IN AETERNUM. quod his verbis, lingua non ignara, protulit.

Erasmus filius Wolfgangi Bemi Diaconi anno superiore defuncti, de fenestra delapsus, manu Angelica, ne quid ei aduersi accideret, defenditur, puer annorum quatuor, **111.** Id. Iunij.

Puerpera in morbo capitis graui, in puteum se abiecit, **xii.** Cal. Iulij. Puteus terra oppletur, & aliis non procurul inde foditur.

Opprimuntur ruina montis, operarij duo rustici, qui ad edificationem domus venatoria, materiam parieti faciendo fodiebant, **111.** Non. Iulij.

Tria pontis iuga e lignis facta lapidea sunt, quorum ultimum est hoc anno absolutum, cum singulis annis facta sint singula.

Nocte intempesta, que fecuta est diem **viii.** Calend. Augusti, post stellarum trajectiones frequentissimas, statim post horam duodecimam, terramoto sequitur. Initio au-

Lapsus  
pueri.

Oppressi  
operarii.

tiō auditus frēmitus , postea facta concussio , quod genus  
ūneriar Philosophi nominant.

Dardana-  
tii tyranni.  
Tempus metendis frugibus hoc anno serenum & com-  
modissimum, mēsis copiosa , pr̄ter spem & vota Darda-  
niorum , qui ex egentium penuria & fame quaestum faci-  
entes , ditescere iniuste & tutpiter cupiunt , & ipsos tyran-  
nos auaricia vincunt.

Obit placidē x. i. i. Cal. Octob. viri venerabilis M.  
Bartholomaei Clamorini Diaconi Misnensis vxor , die polt  
partum decimo.

*Sustinuit partus , sed non superare dolores ,*

*Inuictusq; necis tristia iuria potest :*

*Sed quia Christe tuo confisa est sanguine iusto ,*

*Ualpurgis , sauam vicit & illa necem .*

Post occasum solis v. i. i. Cal. O&. visum Chasma , in  
parte orientali , quod ad occidentem se extendebat , & ad  
cœli ferè ascendebat medium . Motus in eo varij , & co-  
ruscationes flammeæ , per quas etiam stellæ erant confi-  
ciæ : durauit horas ferè quatuor.

M D L X I X.

Ceruus x. v. i. Cal. Martij vrbem introijt , vsq; ad forum  
veniens , deinde pereandem qua venerat portam , exibat.

Moritur phthisi Cal. Februarij in ludo illustri Lauren-  
tius Otho Hertzbergijs , qui cum admoneretur à præ-  
ptore , ut delictorum meimissem , & à Christo eorum veni-  
am atq; remissionem expectaret : respondit , Nullum am-  
plius delictum noui , quia Christum habeo redemptorem.

Chasma . Vesperi v. i. Id. Martij visum est chasma in plaga Septen-  
trionali.

Albis aliquot cūbitorum altitudine crevit Id. Mart. bi-  
duo typhones vehementissimi , & torrens Trebisā tertio  
glacie constitut.

Rursus

Rursus visa sunt chasinae x v. & x i i i. Calend. April.  
Moritur domi meæ x i i. Calend. Aprilis, nobilis & mo-  
destus adolescens, Hugo à Maxen Lusatius, in templo A-  
frano magnificè sepultus.

PARATVM EST COR MEVM DOMINO,  
PARATVM EST COR MEVM.

DEO OMNIPOTENTI SACRVM.

Hugo decus gentis Maxenæ, flore iuente

Concidit: ut rigua flos speciosus humo.

Fatalem in morbis varijs cùm cerneret horam,

Ad Christum toto pectore versus, ait:

Est tua delictis maior clementia nostris,

victor, Christe tuo sanguine, mortis ero,

In te credo vnum, corpus tibi pono caducum,

Inq; tuam patiens omnia trado manum.

H V G O Dei viuens templum fuit, atque quiescens

Nunc, colit in cœlis aurea templa Dei.

Elizabetha parens, dilecta q; nomina fratum,

Hoc mæsti titulum constitue loco.

OBIIT AN. AE TATIS XVII.

Hugonis à Maxen Lusatio, genere & virtute nobili, in  
Christo pientiss. defuncto x i i. Calend. April. Elizabeth  
à Gersdorf Mat. Iohan. Fr. consang. Martinus & Vences-  
laus frat. germani, hoc mon. vnan. pon. cur. an. Christi  
M. D. L X I X.

Post undecimam, & iterum post quartam horam, VI.  
Non. Maij, tres soles visi, quorum extrema duo corpora  
iris superiæ coniungebat: nocte sequente totidem visæ lu-  
na: una corpori vero imposita, altera ad latus dexterum  
adjuncta.

Parelii &  
parafelenii.

Moritur

Moritur Indi illustris quæstor Wolfgangus Gerstenbergius, x i i i. Calend. Junij, qui suo muneri diligenter præfuit sexennium.

Cremantur per incendiarium Calend. Junij, domus tres, & septem horrea, ultra traiectum Albis inferiorem.

Fulmen. De cœlo tangitur x v i i i. Cal. Iulij, domus Pauli pæ, vrbis huius senatoris & scribæ, hora quarta pomeridiana. Fulgoris flamma in lecto incendit stramen, sed statim extincta est. Eodem dic, & eadem hora tangitur Fribergi templum diui Petri.

Pluvia x-  
stas. A die x i i. Calend. Iulij, vsque ad x i i i. Cal. Aug. ingentes & ferè continua pluviæ. Albis incrementa capit sexies. Vir quidam qui ligna excipiebat cimbula, mergitur. Agris illata elutio magna vastitas, non solùm imbribus de cœlo, & in locis quibusdam grandine, sed etiam ruptis fluminum & piscinarum aggeribus.

Tempestas fulminum x i i i. Calend. Augusti. duravit ab hora octaua, vsque ad quartam pomeridianam. In hac vrbe tactum templum ludi senatorij hora prima. In locis vicinis strata sunt in agris, & in stabulis armenta, & paucim exanimati homines, & rusticus ille adolescens Bisuitius, qui puellam seruauit, de quo dixi antea, tactus, artus triduum toto corpore, postea mortuus.

Inter ortum vernum & aestuum x. Cal. Augusti, & diebus tribus sequentibus singulis singulæ visa irides, paulo ante crepusculum integris semicirculis lucidissimæ. Secutæ frequentes pluviæ.

Ambrosius Othobachius, vrbis huius consil, in liberis elocandis haec tenus pater felicissimus, duabus filiabus orbatur intra dies quinque. Martham enim pueroram effert x v i. Calend. Octob. vxorem optimi viri Wolfgangi Eilenburgij: Catharinam viduam x i i. Calend. Octob. nuptam Wolfgango Bladæ ciui honestissimo.

x. Calen. Octob. media nocte ingentes coruscationes durarunt

durant horis duabus, ab undecima usque ad primam.  
Eo die obiit Margarita vxor Hugoldi Schleinicij, quæ  
vidua vixit, annos sex & quadraginta. Mariti tumulum  
lege supra 1523.

VIII. Cal. Octob. ante tertiam vespertinam, visi pa-  
relij, extrema corpora iris lactea coniungebat.

## LECTORI.

Accipe Lector hortum non Damasci, non Hesperidum, sed  
Mishensem, qui quamvis illis similis non sit: talis tamen est, vt  
habeat delectionem, & vt patriam commendet, & nobilitet  
dominum. Nostrum cælum non esse asperum aut horridum, ter-  
ram non infrigeram aut inhospitalem, hic ipse hortus docet,  
multis plantis consitus peregrinis, & sinu atque gremio herbas  
fouens, & benignè producens flores amoenissimos: quem cum ri-  
gauerim fonticulis poëtarum, erit etiam aspectu pulchrior, &  
gratia atque odore incundior. Vale.

Q.

Absin-

Absinthium Ponticum. Römisches Wermut.  
Ouid. 3. de Ponto.

*Trifolia deformes pariunt absinthia campi.* Idem s. Trifl.  
*Cana priua gelido desint absinthia Ponto.* Absinthia  
tetra, à gustatu dicuntur à Lucretio. Herba funebris a-  
pud maiores nostros, quam feretris imponebant, & in cœ-  
meterijs plantabant.

Abrotonus. Stabwurz.

*Isidis sacra.* Lucan. 9.

*Et larices, fumoq; grauem serpentibus vrunt*  
*Abrotonum.*

Abutilon Auicennæ. Welsche gelbe Pappeln.

Acanthus verus. Welsch berenklaue.

Virg. 2. Georg. *baccas semper frondentis acanthi.*  
Acanthus aptus operi topiario: vnde ab eodem, mollis &  
tortus dicitur: mollis, quia ductilis: tortus, quia flexu-  
poteat.

Achillæa.

Ex syderitidum generibus, vulnerum præsens remedium.

Aconitum.

Proserpinæ sacrum: etymologiam exponit Ouid. 7.

Met. *Quæ quia nascuntur dura viuacia caute,*  
*Agrestes aconita vocant.* Idem aconita lurida  
vel ab effectu, vel à tristi florum colore, Ausonius dira, à  
potestate nocendi. Nascitur in Creta, vt Lucan. lib. 4.

Ageratum verum. Klein welsch frauennäuse.  
Quidam putant Eupatorium esse Mesuæ.

Agnus seu Vitex. Pfefferbaum.

Alcea Veneta. Venezische Pappeln.

Allium Creticum. Welscher Knoblauch.

Medendo hemicranio aptum. Serenus,

*Allia vel piperis ternis terna addita granis*  
*Tritalines.*

Detelta-

Destestatur omne allium. Horat. Epod. 3.  
Parentis olim si quis impia manu

Senile guttur fregerit,

Edit cicutis allium nocentius: Proverbia sunt, Allia  
& fabas ne comedas. Item, Allium & tithymallum tere-  
re, quod est duplice molestia afficere, cum altera herba of-  
fendat foetore, altera noceat arrosione.

Allium montanum,  
acceptum a viro doctiss. Conrado Gesnero.

Alfine

Meuförlein.

Amarantus cristatus Grosse liebrosse.

Florem habet non marcescibilem, ad quem Petrus Apo-  
stolus allusisse putatur, cum dicit πλεονομίαν ἀμάραντον, quem  
Paulus nominat τὸν δικαιουμένην σέφανον. Columella dixit,  
Immortales amarantos, propter vigorem & pulchritudi-  
nem perpetuam.

Amni, verum.

Amomum.

Welsch Petersilien, vulgo.

Amygdalus

Mandelbaum.

Arbor in Thaso præstantissima: de ea se Phyllis regina sus-  
pendit desiderio mariti Demophontis: vnde arbor ipsa,  
vmbra Phyllidis apud Palladium.

Anagyris.

Frutex peregrinus. Proverbium est, Anagyrim commo-  
ues, cum res aliqua tractando sit molestior.

Anemone Rothe Camissen.

Flore rubeo, flos Adonis, qui ex eius cruento creuisse fin-  
gitur.

Anethum.

Virg. in Buc.

Narcissum & florem iungit bene olentis anethi,

Columella lib. 10.

Et bene odorati flores sparguntur anethi.

	ANNUAL. V R B I S M I S N A E	
Angelica hortensis		Welsche wolrichende
Anthemis		Camillen.
Antirrhinon		Welscher orant.
Flore est albo & rubeo.		
Apium hortense	Eppich.	
Herba coronaria in certaminibus Nemeis, & in coniuijs Romanorum.	Horatius Carm. 4. II. <i>est in horto</i>	
<i>Phylli nestendis apium coronis,</i>	<i>Est hederae vis.</i>	Eadem corona-
bantur sepulchra : vnde Proverb. Apio nihil opus est. Api-		um quia humidis locis nascitur ad ripas, dicitur venum, ab
Horatio Carm. 2. 7. & quia diu viret, ab eodem viuax L.		
36. Virg. in Buc. etiam saporem innuit,		
<i>Floribus atque apio crines ornatus amaro.</i>		
Aquilegia	Akalei/tiriack's fruit.	
Folijs duplicatis, colore alba, punicea.		
Arizarum.		
quod sum consecutus opera viri clariss. Ioachimi Came-		
rarij Medici, vt & plures alias plantas.		
Aristolochia	Osterluci.	
rotunda, vera.		
longa, vulgaris. Hoc nomen ex in-		
uenta re reperit, rem ipsam inuentor è somnio, vt ait Cic.		
de Diuinatione.		
Arona.		
Folijs maculosis.		
Arrhegonon		
Artemisia minor	Beifus	
Asarum.	Hafelwurz.	
Asparagus maior, Italicus.	Spargenfrau.	
Hinc Proverbium Augusto Cæsari visitatum, Celerius		quam

quām coquantur asparagi. Inuenal. sat. II. montani  
*Asparagi, posito quos lēgit vīlīca fūso.* Meminit Mar-  
 tialis in Xenijs. Item Col.

*Et bacca asparagi spinosa proſilit herba,*  
*Asphodelus silueſtris.*

Atriplex.

Ex olerum satiuorum genere. Col.

*Et grauiſ atriplici conſurgit longa faselus.*

Atriplex hispana.

Vulgō spinachia.

Baccaris Matthioli,

Virg. in Buc.

*baccare frontem*  
*Cingite; ne vati noceat mala lingua futuro.*

valens contra fascinum. Ibid.

Errantes hederas paſſim cum baccare tellus,

*Mistaq; ridenti colocasia fundet achanto.*

Balsamine, vtraque

Col. Fer calathis violam, & nigro permista ligistro

*Balsama, cum casia nectens, croceosq; corymbos.*

Barbula hirci.

Flore purpureo, cuius semen misit medicus excellentissi-  
 mus Petrus Matthiolus.

Beluider.

A pulchro aspectu, verum eius nomen ignotum.

Berberis frutex

Saucerdorn.

Beta

Mangolt.

alba, rubicunda, & nigra.

Mart. lib. 13,

*Fatuae fabrorum prandia, betæ.* Idem 5.

*Pigroq; ventri non inutiles betas.*

Botrys.

Treublein frauf.

Brassica.

Köel.

Eius genera sunt Apiana, crispa, marina, Italica Soldo-  
 nella.

nella. Caule fior, qui Genuæ in precio est. Col.

*Sed cùm iam valido turgescit lurida caule  
Brassica, cumq; tument pallentia robora betæ.*

**Brassica capitata** *Heuptkraut.*

A quibusdam dicitur caputum. Vuillichius.

**Bryonia baccis rubeis**

*Gichtrübe.*

**Buglossum verum**

*Welsch buglossen.*

**Calamintha**

*Kormink.*

**Caltha duorum generum.**

*Ringelblumen.*

*Virg. in Buc.*

*Mollia luteola pingit vaccinia caltha.* Columella,

*Pressaq; flammeola rumpatur fiscina caltha.*

*Prudent. Cath. rosarijs*

*Omnis flagrat humus, calthaq; pinguia,*

*Et molles violas, & tenues crocos*

*Fundit.*

**Carduus.**

**Artiscoci, Italisi.**

**Carex.**

genus iunci. Virg. *& carice pastus acuta.*

**Centaureum maius.**

*Rha ponticum*

*A Centauro Chirone dictum, à quo ~~Botayinū~~ Achilles dicit. Lucretius 4. Abrotaniq; graues, & tristia Centaurea. Tristia Virgilius exponit graueolentia. A loco nominat Lucanus, 9.*

*Et panacea potens, & Thessala centaurea.*

**Cepa.**

*Zwibel.*

Lachrymosa, quia ciet lachrymas, vndè proverbiū Biantis, Cepas edere: & nostra lingua, De cepis loquenter audiens, de porro intelligens: cùm de homine minime attento loquimur. De sacrificijs fortunæ, cognomento Fortis,

Columella,

Allia

*Allia cum cepis Cereale papaver anetho  
Iungite.*

Chamæcissos

Chamædaphne

Chamædrys vera.

Chamæpytis

Chelidonia.

Serenus.

Idem,

tis vicijs.

Kellershals.

Je lenger je lieber.

Schellkraut.

*Sæpe chelidonia rapidum sociatur acetum.*

*Sæpe chelidonia ex acido perducta liquore*

*Sanauit. loquitur autem de aurium & capi-*

Cichoreum Italicum Wegesleucht / hindleufe.

Horat. Carm. 1. 31. *Me pascunt olinæ*

*Me cichorea, leuesq; malua. Eius speciem esse inty-*

*bum autumat Seruius, in 1. Georg. & amaris intyba fibris.*

Cistus mas & fœmina

Clymenon

Colocasia

Mart. 8. *Lenta minus gracili, crescunt colocasia filo.*

*Plena magis nimio lilia sole cadunt.*

Colutea arbor Welsch senetbaum.

Plautus in Persa,

*Commisce mulsum, struthea, coluteaq; appara.*

Coris

Cornus arbor baccifera,

*cuius fructus primum albus, tum flavius, postea sanguineus, vndè Horatius fructum eius vocat rubicundum: maturescit in initio autumni, vndè Ouidius, corna autumnalia. nam ea corna, quæ lapidosa vocat Virgil. 2. Georg. fructus sunt cynosbati fruticis. Crescit ista arbor èfemine lapilli, quem continet, non surgens surculo, vt arbores cæteræ, sed instar graminis, è terra erumpens.*

**Coronopus.**

**Corruda.**

Col. *asparagi corruda simillima filo: est enim asparagus agrestis.*

**Crocus Martius, vel siluestris.**

**Crocus hortensis.**

à poëtis laudatur crocus è Cilicia: vnde prouerb. est, Ferre crocum in Ciliciam. qui & alio nomine Corycius. Virg. in Battarum, *Corycio crocus editus arvo.* Laudatur idem è Sicilia, qui & Sicanus. Laudatur è Lydia, montis Tmolus, de quo Virgilii i. Georg. *nōnne vides croceos vt Tmolus odores,* *India mittit ebur?* Placet item colore. Virg. 4. Georg. *casiamq; crocumq; rubentem.* Ouid. i. de Arte,

*Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.* Placet dentique odore. Iuuenal. 7. *Spirantesq; crocos.*

**Cucumis siluestris  
sativus.**

Virg. 4. Georg. *tortusq; per herbam*  
*Cresceret in ventrem cucumis.*

Col. *Et tenero cucumis, fragiliq; cucurbita collo.* Ibid.  
*Intortus cucumis, prægnansq; cucurbita serpit.*

**Cucurbita rotunda, longa** *Kürbs.*

Propert. 4. *Cæruleus cucumis, tumidoq; cucurbita ventre.*  
Virg. in Moreto, *Et grauis in latum demissa cucurbita ventrem.* Seminosa seu ~~conspicua~~ vocatur in scazonate Priapeo, & ibidem Priapus ipse ait, *Cucurbitarum ligneus vocatus.* Apuleij prouerbium est, *Cucurbita glabrior.* & apud Diphilum, Aut florem aut cucurbitam: quod Eras. exponit. Caput cucurbitinum pro grandi, ex Hermippo Comico annotauit Iunius, in Adagijs.

**Cyaneus Italicus.**

**Cyclaminus.**

*Welsche fornblumen.*

*Inde*

- Inde proerb. Cyclaminon infodere flumini.  
 Cyperus Galganwurzel.  
 Cuminum Kummel.  
 Comeustum vel haustum, inducit pallorem faciei, vnde Horat. Epist. I. biberemq; ex angue cuminum.  
 Serenus imitatione Perij, grana cumini  
 Pallantis mandens, visus exhalat in ipsos. Idem,  
 Pythagora cognata, leui condita cumino. Cuminum  
 serere, de maledicis dicitur, sermone vulgato: item, Cu-  
 minum secare, de auaris & sordidis.  
 Cytisus.  
 Virg. in Buc. Florentem cytisum, & salices carpetis amaras.  
 Daucus Creticus verus.  
 Delphinium triū generum Wessche rittersporn.  
 Dictamnus albus Weis diptam wurzel.  
 Virg. 12. Dictamnum genitrix Cretæ carpit ab Ida,  
 Puberibus caulem folijs, & flore comantem  
 Purpureo. Statius Sil. lib. 7.  
 Idæa profert quam Creta sub umbra  
 Dictamni florantis opem. Sed hæc de vero Cre-  
 tico dictamno intelligantur.  
 Dipsacus silvestris. Tuchmacher karten.  
 Carduum fullonum nominat doctissimus Iunius.  
 Dorychnion, vel halicacabus peregrinus.  
 Doronicum Gemsenwurzel.  
 Dracunculus verus,  
 Opera clarissimi Medici Iacobi Schadij, vt & alia plantæ  
 multæ. huius prima germinatio serpentis maculosi refert  
 formam.  
 Dulcis radix Francica Lackris.  
 Draba Welsch salatkraut.  
 Ebenus vel Sanctum lignum,  
 ex horto Patauino, quem colendum curat illustris senatus  
 Venetus.

Elichryson odoratum Italicum  
Eruca & Erucula.

Weisser senf.

Venerem excitans, omnibus poëtis nota & nominata.  
Virg. in Moreto, Venerem reuocans eruca morantem.  
Ouidius 2. de Rem.

Nec minus erucas aptum est ritare salaces,  
Et quidquid Veneri corpora nostra parat. Colum.  
Et quæ frugifero seritur vicina Priapo,  
Excitet ut Veneri tardos eruca maritos.

Auctor carminis Priapeij,  
Et ipse longa nocte dormiat solus,  
Libidinosis incitatus erucis.

Eruum Erbeis.

alienum ab illo fructu, quem nos pisa appellamus, aptus  
tamen saginandis bobus. Virg. in Buc.

Eheu, quam pingui macer est mihi taurus in eruo?

Plaut. in Most.

Eruum daturin' estis, bobus quod feram? est autem  
ορελος, non (ut Priscianus annotauit) ορελια. Eruilia sunt ex  
uorum purgamenta, ut fabarum fabilia.

Erysimum Heidrich  
Euphorbium.

Serenus, labrum Veneris vocat.

Fabæ Bonet.

Mart. lib. 5. Et pallens faba cum rubente lardo. Inde ser-  
mones vulgati. Terent. in Eun. Faba in me cedetur; pro,  
ego luam penas facinoris alterius. Fabam iactare, pro,  
rem incertam dijs committere. Varro lib. 1. de vita P. R.  
In sacris fabam iactant noctu, ac dicunt se Lemures domo,  
extra ianuam ejcere. Faba interdum pro calculo, quia fa-  
bis eligebantur magistratus: vnde, Fabæ nummus, pro em-  
pto suffragio. &, Fabæ arrosor, qui dabat improbum suf-  
fragium. &, A Fabis abstinentium, hoc est, à principatu, vt  
nonnulli

nonnulli interpretantur. A Sereno, cognata Pythagoræ dicitur. Apud Alsatiros rex conuiij die Theophanias faba declaratur, quæ cum pane pistæ, eoq; in domesticos diuiso, cuicunq; obtigerit, rex proclamatur. Fabilibus vicitat, pro tenuiter aut sordidè viuit, vt penuria tempore homines vesci furfuribus coguntur. Lomentum est farina è faba, qua vtebantur ad rugas emendandas. Mart. lib. 6. de eo loquitur, *Aut tegitur pingui terq; quaterq; faba. Pali deæ pastorum cremabant fabales stipulas, vt in Fastis Ouidius testatur.*

### Ferula, frutex Italicus.

Ea vſi literarum magistri sunt, qua manus cedebant discipulorum. Mart. 10. *Ferulæq; tristes, sceptra paedagogorum.* Vndè gaudens Iuuenal. quod illas castigationes feueras, non amplius subiret ætate, ait,

*Et nos ergo manus ferula subduximus.*

Domitianus Marsus de Orbilio Grammatico plagoſo,  
Siquos Orbilius ferula, ſcuticaq; cecidit. Eam vidi in promontorio Miseno, n̄e quis ſoli Africæ aſſcribat. Clearchus ferulam nominauit arborem non arborem.

### Ficus.

Arbor fructificans: ea quæ caret fructibus, aspectu pulchrior est & latior, quam ficum ſterilem vocat Iuuenalis satyra 10. alij scriptores caprificum. Ouidius ait ficum baccis coeruleam, Horatius pullam, reſpectu videlicet matritatis. In tenacem dictum eſt, Ficum diuidere: in petacem, Ficum petere: in ſordidum, ficum vorare: in irrisorem, Ficum monſtrare, natum ē Barbarossa Imp. ludibrio. Ficulnum vocatur, quidquid letie & infirmum: vt ficulnus paxillus, ficulna mens, ficulnum auxilium. Vinculum ficulnum pro tenace. Truncus ficulnus, vt Horatius, inutile lignum. Ficus Mercurialis, apud Athenienses, & ficus Ruminalis, apud Romanos dictæ, illa quod iuxta vias effet

eset possessori & viatori communis, hæc quòd sub ea expo-  
siti & alti essent Romulus & Remus, quæ & in nummis an-  
tiquis argenteis exprimitur.

Filix

Flarren.

Horatius Serm. 1. 3. Neglectis vrenda filix innascitur agris.  
Filicata pateræ, Ciceroni. Est igitur inter topiarias her-  
bas, & quia agros corrumpit, quos densitate occupat, ideo  
dicitur inuisa aratris, à Virg. 2. Georg.

Galbanum.

Columella, Et noxia galbana succo.

Genista frutex,

vndè humilis à Virgilio: nascitur ad ripas, vt idem,  
flumina latè

curvattent; vt molle siler, lentæq; genista.

Gentiana

Enzian.

Gladiolus Indicus

Hunc opera D. Ludouici Camerarij accepi, vt & alias  
plantas.

Glaux vel Glaucium,

in quam piscator Glaucus mutatus est. Ouid. lib. 7. & 13.

Hedera

Eppich.

nigra & alba, mas & fœmina. Baccho sacra. Ouid. 3. Fast.  
hedera est gratissima Baccho.

Et 1. Trist.

Deme meis hederas Bacchica ferta comis. est & hac  
topiaria, & coronaria: à poëtis errans, & nexilis, & flexi-  
pes. Vndè Horat. 1. Lasciuis hederis ambitiosior. Confu-  
le & illud prouerb. Hedera vti post antistheria. Eadem  
in sacris populariter vtebantur Thracæ & Aegyptij: illi  
etiam gladios & scuta ea coronabant. De eius vñ Seren-  
nus, At succis hederæ pulchrescit fœda cicatrix.

Hedisaron

Helenium, seu enula

Alantwurzel.

Elachry-

Elachrymis Helenæ natum, vt ait Plinius. Horat. Serm.  
2.8. *enulas ego primus amaras*

*Monstrui incoquere.* Idem 2.2.

*Atque acidæ maulti enulas.* Columella,  
*Capparis & tristes enulae.*

Heliochryson,  
quo Ptolomæi reges Aegyptij deos suos coronarunt, vt  
scribit Gyraldus.

Heliotropium maius & minus. Sonnewirbel.  
Helleborum album

nigrum verum.

Catullus, *Sua niolum tristi tristius helleboro.* Hor. Epist. 2.2.  
*Expulit helleboro morbum, bilemq; meraco.*

Ouidius 4. de Pont.

*I, bibe dixisse, purgantes pectora succos.* Iugerum  
hellebori, pro magna eius copia: &, Helleboro opus ha-  
bere, de homine mentis parum sanæ, Prouerbia sunt.

Hellebori species, consilio Leuffkraut.

Helleborine

Helxine, seu parietaria Winden.

Herba parietaria dictus est per iocum Imp. Traianus, pro-  
pter inscriptiones & statuas plurimas, omnibus locis po-  
sitæ.

Hemerocallis Rein lilien.

Horminium maius, minus Scharlach.

Hyacinthus orientalis & vulgaris.  
A puero in eum florem conuetso, secundum fabulas poë-  
tarum, à Virgilio nominatur ferrugineus. Eo in sacris lo-  
co coronatum vtebantur Hermionenses. Columella,

*Nec non vel niueos, vel cæruleos hyacinthos.* Dicitur  
ab eodem flos Oebalius, non Aeacius, vt est in vulgatis ex-  
emplaribus.

Hysso-

Hyslopus flore albo	Eisop.
Acceptus à viro bono, & industrio Iohanne Romero, aro- matorio Arenstadiense in Turingia.	
Holoconitis Hippocratis	Dulichini Italisi.
Hydropiper	Wasserpfeffer.
Hioscyamus	Wilsenkraut.
Iasmenus frutex	
albis & luteis flosculis, musci odorem spirantibus.	
Iberis	
Iris Illyrica, verna, vulgaris.	Biolwurzel.
Isatis	Waid.
Colitur in agro Turingico.	
Iuncus	Winsen.
Ouidius 8. Meta.	
Lenta salix, vluaeq; leues, iunciq; palustres.	
Propertius 4.	
Me notat & iunco brassica vincita leui.	
Iuncus limosus, quia in limo nascitur, apud Virgilium.	
Lucan. lib. 5. Sed sterili iunco, cannaq; intexta palustri.	
Labrusca,	
vitis agrestis, vt Marusca ficus agrestis, genere neutro.	
Virg. in Culice, Densaq; virgultis auidè labrusca petuntur.	
Lactuca	Salat.
Lactucarum varia genera. Mart.	
Claudere quæ canas lactuca solebat auorum,	
Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes? Idem s.	
Et vtrunque porrum, sessilesq; lactucas.	Colum.
Salutari lactuca sapore.	Vide eius ge-
nera, quæ ibidem diligentissimè & prolixè describit.	
Ladanum frutex.	
Lapathum hortense maius	Sauerampfer.
Horat. Epod. 2. Aut herba lapathi prata amantis.	Col. Lubrica

*Lubrica iam lapathos, iam thanni sponte virescunt.*

Laurus

*Corberbaum.*

Arbor poëtarum & yatum insigne. Horat. Car. 4. 2.  
*Laurea donandus Apollinari.* Seneca in Agam.  
*Effrena Phœbus entheas laurus quatit.* item victorum  
 & triumphatorum: vndē ante domum Augusti stabant.

Ouid. 4. Fast. *State Palatinæ laurus.* Eadem ad aram  
 Herculis Maximi Romæ adhibebatur. Etiam vſitata Ma-  
 gis, vndē qui tuti esse vellent, admonebantur, vt virgini  
 laurinam gestarent. In ignem coniecta valde crepat, vndē  
 Lauro clamosior dicitur, qui garrulus est. Et laurum in  
 mustaceo quærere, est in te nullius momenti laudem affe-  
 ctare. De Homero & Virgilio scitè canit Statius 4. Sil.

*Nectit odoratas & Smyrna & Mantua laurus.*  
 loquens videlicet de singulari poëtæ vtriusque excellentia.  
 Idem i. de Stella poëta & eius nupta,

*Maluit & nostra laurum subtexere myro.*

Lauri folia deuorabant, qui nolebant vinum sibi nocere.

Mart. lib. 5.

*folia deuorat lauri,*

*Merumq; cauta fronde, non aqua miscet.*

Laurus Alexandrina frutex.

hoc nomine Græco Rhododaphne, & frutex Nerius. In  
 Libya fiunt ex hoc frutice fistulæ, tantis viribus prouenit.  
 Rhododaphne, vt & arbutus, homini sunt venena, ca-  
 pellis cibus.

Prudent. in Hamartigenia,

*Noxius in teneris sapor astuat ecce frutetis,*

*Cum prius innocuas tulerit natura cicutas.*

*Roscidus & viridem, qui vestit flos rhododaphnen,*

*Pabula lascivis dederit sincera capellis.*

Lepidium maius

Leucoia varia

*Römische Fresse.*

*Muscatenblümle.*

Col.

*Candida Leucoia, & flauento lumina Calthæ.*

Libano-

Libanotis      Weirauch wurzel / Rosmarin.  
Ligusticum

Hoc Laser nonnulli esse putant, cuius copia in Africa Cyrenaica.      Catullus Epigr.

*Quam magnus numerus Libyssæ harenæ  
Laser piciferis iacet Cyrenis.*

Ligustrum      Reinweiden.  
Frutex ab ossa duricie, alio nomine Beinholtz, quo nostris ytuntur ad dentifricia, vt Itali lentisco. Ab Ouidio nueue, à Virgilio album appellatur à flore, vndē etiam pruerbium, Ligistro candidius. 13. Met.

*Candidior folio niuei Galatea ligustri.*      Colum. 10.  
*Fer calathis violam, & nigro permixta ligistro  
Balsama.*

nomine contrario, quia respicit ad fructum, qui est baccarum nigrarum. Alij diuersa esse putant fruticem hunc, & herbam eiusdem nominis.

Lilium album      Lilgen.  
Natum fingunt è lacte Iunonis : ab Horatio breue, dicitur, quia non nimium durat.      Ouid. 5. Met.

*Ludit, & aut violas, aut candida lilia carpit.*

Ideni 4. Fast.

*Ipsa crocos tenues, liliaq; alba legit.* Vndē, Candidior lilio, Martial. lib. 1.

Lilium rubens, luteum, canens.

Ouid. 12. Met. *Interdum canentia lilia gestet.*

Lithospermon vulgare,  
& quod Itali vocant Lachrymam Iobi.

Lonchitis      Spikanten Kraut.

Lotos sativa      Siebengezeit.

Ouid. 10. Met. *Amnicolæq; simul salices, & aquatica lotos.*

Lunaria      Meer violen.

Lupinus hispanicus.      flore

flore cœruleo.

Lupinus siluestris

flore luteo.

Huius crebra mentio in poëtis. Mart. 5.  
Et feruens cicer, & tepens lupinus. Virg. i. Georg.

Aut tenues fætus viciae, tristisq; lupini

Sustuleris. Horat. in Epist.

Nec tamen ignorat, quid distent æra lupinis. Ouidius  
de medicamine, lupinos commendat ad tingendam fa-  
ciem.

Lupulus

Hopfen.

Lychnis coronaria, flos Iouis

Marienrösle.

filuestris

Lysimachium

Wederich.

Malache.

Col. Et malache, prono sequitur qua vertice solem.

Malua

Pappeln.

Mart. lib. 3. Uttere lactucis, & mollibus utere maluis.

Molles autem, quia sunt (vt Horatius ait) graui  
Malua salubres corpori.

Mart. 10. Exoneraturas ventrem mihi rustica maluas

Attulit. vnde malua mollior vel mitior, ser-  
mone vulgi dictum est.

Malua crispa, vel Syriaca.

Ungarische amarello.

Malum Armeniacum Naetus sum opera honesti & diligentis viri Herduigi, ci-  
uis Vratislauiensis.

Malum punicum.

Floret, fert fructum, sed non planè maturescit.

Mandragora

Allraun.

A quibusdam, herba Circea, vel quod Circe ysa in benefi-  
cijs sit, vel quod circa promontorium Circeum yberius  
proueniat in Campania.

Serenus, Mandragora gustu sopor additus altus. Id non

R ignora-

ignorauit Hamilcar Carthaginensis contra Lybes pugnans : nam vinum corrumpens mandragora, obrutos somno hostes cecidit : eadem arte Iulius Cæsar piratas Cilices somno victos iugulauit ad Miletum , vt scribit Polyænus. Columella de horto,

*Quamvis semibominis vesano gramine facta*

Mandragoræ pariat flores, mæstamq; cicutam.

Hanc plantam dedit honoratus ac prudētissimus vir lo-  
chimus Kreichius senator Torgensis, & aromatarius.

Marisca Wilde feigen.

**Ficus agrestis & insipida. Mart. 7.**

*Infanti melimella dabo, fatuasq; mariscas.*

## Marrubium

**Columella, vocat amarum.**

## Melantium.

**Col.** *gracili melantia grata cumino.*

Melilotus Appula, vera Rechter steinle.

*Metissa Hippa*  
*Metissa Turcica*

## Menta

Kraußmünz.

odore acerrimo. Ouidius 10. Met.

*in olentes vertere mentas.* Mart. 10.

*Nec deest ruftatrix menta, nec herba salax.* per ha-  
intelligit erucam, quæ semen genitale auget: ut idem  
menta extinguit. Adagium est, Mentam tempore belli ne-  
que seras, neque metas: quo significatur ab ea abstinen-  
dum temporibus periculosis, tanquam quæ non addat  
animos, sed minuat. Mensas tergebant antiqui mentis.

## Ouid. 8. Met.

*Aequatam ment& extersere videntes.*

## Mentastrum

## Millefolium

Garbe.

A forma & multitudine foliorum. Serenus,

*Herbaq; quæ folijs nomen de mille recepit.*

1ptec

Inter vulnerarias recenset idem, Græcè *εγατικόν*.  
Milium Aethiopicum      Mehr hirsche.  
Morion Theophrasti      Dolwurz.

Myrrhis

Myrtus frutex Tarentina.

Sacra Veneri, quod multis mulierum morbis medetur:  
nascitur ad litora, ut ipse vidi in Campania.

Mart. lib. 4.

*Nec plus lotos aquas, littora myrtus amat.*

Laudatissima est in Aegypto, & in Laconia. Virg. in Batta.

*Et violæ omne genus hic est, Spartanaq; myrtus. Facili-*

mē læditur frigore. Idem in Buc.

*teneras defendo à frigore myrtos. & Ouid. 2. Eleg.*

*metuentem frigora myrtum. Est inter arbores odora-*

*tas.*      Idem 3. de arte,

*Rosmaris, & laurus, nigraq; myrtus olent.*

Eandem & pullam vocat Horatius Carm. 1, 25. & bicolore

Ouid. 10. Met.

*Musicus musicum myrto inuitat. proverbiū est.*

Napellum

Narcissus Italicus albus

Luteus

Purpureus.

Zeitlosen.

Virg. in Buc.      *Pro molli viola, pro purpureo Narciso.*

Idem 4. Georg.      *Nec sera comantem Narcissum. pro, sero*

producentem flores.

Kresse.

Iubentur nasturtium edere apud Comicos, qui minus ha-  
bent animorum aut virium. Cibus fuit Persarum. Varro  
in Vopisco, Nasturtium non vides ideo dici, quod nasum  
torqueat?

Columella,

*Cæcis nasturtia dira colubris.*

Nepeta

252 ANNUAL VERBIS  
Seu pulegium agreste. Serenus de hydrope depellenda,  
*Apposituq; leues nepetae gustuq; iuuabunt.*

## Nymphaea < Seheblumen.

*Nymphaea* *Scheblumen.*  
Nusquam maior, quam in stagno Padusæ, prope Ferrariam.

Olea arbor Delbaum.

Olea arbor *Deldam.*  
Alligata vittis, aut gestata manu, insigne pacis fuit, idem  
& Mineruæ sacra, vnde pacifera, pacalis, & pacata dicta.  
Virg. 7. *ramumq; innectit olinæ.* Idem 2. Georg.  
*plaritam paci nutritior olinam.* Lentè crescit, perpe-  
Vita.

placitam paci nutritori oliuam. Lente crescit, r  
tuò viret, ad ducentos annos viuit. Hinc sunt illa, Virg.  
in Buc. prolem tardè crescentis oliuæ. 2. Georg.  
Quid. 8. Met.

*Palladia gaudent silua viuacis oliuae.* Ouid. 8.  
ideo oliua tan-

tum coronari Iouem, scribit Phurnutus, quia frondens  
semper est, *ad ianuam*. Horat. Carm. 1, 7.

*Undique decerptam fronti præponere oliuam.* quasi pro  
uerb. loquitur, hoc est, è quauis materia laudem ingenij  
quarere. A colore flava, pallens, albens, rectè dicitur,  
pro anni seu maturitatis tempore. Horat. Epop. 16.

*Germinat & nunquam fallentis termes olinæ.*

### *Olus atrum.*

**Columella, olus pullum,**

*Atque oleris pulli radix, lacrymosaq; cepa-*

### **Onobrychis Italica**

*Onobrychis italica*  
*Origanum velutinum*

## *Origanum, veronae* *Origanum Italicum*

*Origanum* L.  
*Oregano*

*Orchis vera Knabenfrau.  
nomine, Satyron, herba incendens Venerem, gran-  
radices habens. Eobanus.*

*Miscueris dictam Satyrorum à moribus herbam;*

*Urticæq; leui semina trita manu.*

*Heu mihi ne castas spectatum vade puellas,*

*Iste furor nulla dissimilatur ope.*

Ochros

Osyris vera  
Flore purpureo.

Oxalis, ruminis genus  
Variorum generum.

Sauerampfer.

Pæonia,  
à Pæone medico , vndē herbæ Pæoniae , pro salutaribus &  
efficacibus. Virg. 7. Pæonijs reuocatum herbis.

Pfingstrosen.

Panacea,

Vulgò , Omnimorbia. Virg. 12.

Ambroſie succos , & odoriferam panaceam.

Papauer trium generum

album

nigrum

corniculatum

Möhre.

Papauer inducit somnum , vndē soporiferum. Serenus ,  
amica papauera somno. Idem ,

molidum tritumq; papauer,

*Quo lita frons , facilem præbebit nocte quietem.* Inducit  
obliuionem, vndē Lethea papauera. Inducit deniq; mor-  
tem, si vsus eius modū excedit. nam & succus nimius (quem  
nostrī lac papauerum dicunt) mortifer est: & panes seu pla-  
centæ ex eo factæ. Quia autem in offis & cibis eius fructu  
vitimur, ideo vescum, hoc est, edule, seu cibis aptum à Vir-  
gilio , & ab eodem Cereale dicitur, ex eo pastilli fiunt.  
Fructus fert inumeros.

Ouid. 5. Trist.

*Quoties soporiferum grana papauer habet:*  
vndē & grauidum Ausonio. Capita papauerum decutere,  
est primates tollere in Repub. sumptum de historia Roma-  
na. Papaueris grana numerare, laborē significat inutilem  
sumere. Est & agreste : Serenus,

*Aetao melli iungas agreste papauer.*

Pastinaca

Pentaphyllum

Pepon

Fünffingerkraut.

In ciborum delicijs fuit, & nunc est. Apud vetustissimos  
fuit proverbiū, Pepone molior: & pepones dicebantur  
homines effeminati, publico conuicio.

Petasites

Phasganion

Alio nomine Xiphium. Serenus,

*Aut de phasganio radix decocta palustri.*

Phyllitis, vel Scolopendria

Peucedanum

Piperitis, siliquastrum

Pifa

Plantago minor & maior

Polypodium

Polygonum

Porrum

Frauenkraut.

Wegerich.

Engelsfuss.

Wegetrit.

Lauch.

Horatius ad Meccenatem Serm. 1, 6. de coenula vili & do-  
mestica loquens ait,

*inde domum me*

*Ad porri & ciceris refero, laganiq; catinum. Porri se-  
ctiui, seu sectilis fila nominant Iuuenal. sat. 14. & Mart. in  
Xenijs. Idem de capitato porro,*

*Mittit præcipios nemoralis Aricia porros.*

& Colum.

*& mater Aricia porri.*

Cibus autem est futorum, ex sententia Iuuenal. satyr. 3.  
*quis tecum sectile porrum*

*Sutor, & elixi veruecis labra comedit? Eodem dele-  
tabatur Nero Imperator, vnde dictus porrophagus. E  
porro capitato corona fiebant Telluri.*

Colum.

Nunc

*Nunc capit is porri longo resoluta capillo  
Latetur, mollemq; sinum Staphilinus inumbret.* Porri  
radices Serenus crinitas vocat.

Portentilla

Portulaca

Psyllion

Pulegium

Flœ Kraut.

Poley.

D. Hieronymus ait pulegium apud Indos pipere esse pre-  
ciosius. E pulegio corona prodest contra vertiginem.  
estē potens (vt ait Serenus) capiti medendo. Cic. ad Ti-  
ronem, Ad Leptā rutam pulegio mihi tui sermonis vten-  
dum est, hoc est, ad eius vehementiam tua suavitatem.

Pyrethrum

Berthram.

Serenus, *Purgatur cerebrum mansa radice pyrethri.*

Quinquefolium generum duorum

Ranunculus

Rhamnus

Rhamni species: gerens spinas duplices rectas, & hama-  
tas, è qua corona Christo Deo imposita, complicata fui-  
se putatur.

Raphanis

Kettich.

Rapum

eine Rübe.

Oblongum, qualia sunt apud nos: rotundum, vt ad Rhe-  
num crescunt instar mammilarum, quarum dimidia pars  
eminet supra terram. Mart. in Xenijs,

*Quæ tibi brumali gaudentia frigore rapa**Mittimus, in cælis Iuppiter esse solet.*

Rhodia

Johannes berle.

Ribes frutex

Ricinus

Rosæ

Rosen.

Rosa flos insignis, index veris. Col. rosa præbet honores  
Calitibus, templisq; Sabatum miscet odorem.

Tibull. lib. i.

*Floret odoratis terra benigna rosis.* Horat. Carm. 2, 3.

*& nimium breues*

*Flores amæna ferre iube rose.* Ijs spargebant mensas,  
lectos, atria. Rosam seram, quæ post tempus vernum re-  
florescebat, expetebant diuites. Apud nos interdum sub  
autumnii initium denuo florent, vt hoc anno factum est,  
medio mense Septemb. Horat. Carm. 1, 38.

*Mitte seclari rosa, quò locorum sera moretur.* ea enim  
maiore constabat precio. Rosaria Pæstana, à Virgilio,  
Blandina à Propertio laudantur : à Pæsto & Blanda Cam-  
paniæ vrbibus: Melitensis à Cicerone, Damascena ab alijs,  
quæ hodie in hortis nostris plantatur. Cic. 5. Tusculana,  
An tu me in viola putas, aut in rosa dicere? pro, in loco  
maxime voluptuario. Roseum apud poëtas quidquid est,  
aut candore exiinium, vt genæ, ceruix, labella : aut rube-  
dine perspicuum, vt pudor roseus. Scitè Columella,

*Nimij rosa plena pudoris.* Inueniuntur rosa candidæ,  
purpureæ. De hac Columella,

*Iam rosa mitescit, sarrano clarior ostro.* & quæ his op-  
ponuntur, coloris quasi diluti, pallentes, vt, Nemeianus  
Carthaginensis, mibi lilia nigra videntur,

*Pallentesq; rosa : sed candida lilia fient,*

*Purpureeq; rosa.*

Luteæ, quæ sunt odore minus gratæ : inueniuntur etiam  
quæ in spinis non nascuntur. Rosis tribus vtitur in suis in-  
signibus, familia præclara Schleiniorum : è qua præfules  
fuerunt Numburgi, Mersburgi, & Misnæ : & abbates duo  
Chemnicenses. Nomina multorum recensuimus in his  
Annalibus. Rosam primam carpere, proverbiale est.

Ouidius in Hero.

*Est aliquid primis pomaria carpere ramis,*

*Et tenero primam deligere vngue rosam.*

Mart. lib. 10.

ut 10-

*Ut rosa delectat, metitur quæ pollice primo.*

Item illud eiusdem,  
*Et riget amissa spina relicta rosa.* & hoc ab aliis anno-  
tatum est.

*Vrticæ sèpe propinqua rosa èst.*

Rosmaris.

Ouid. 12. Met. *Ut modò rore maris, modò si violáue rosae.*

*Implicet: interdum canentia lilia gestet.* Inde  
penatibus corona siebant. Horat. Carm. 3, 23.

*Paruos coronantem marino*

*Rore deos, fragiliue myrto.*

Ruscus frutex,  
è quo scopæ fiunt. *sæpes rusco horrida apud Columellam.*

Ruta

Col. *Rutaq; Palladiæ bacca vittura saporem.*

Ouid. 2. de Rem.

*Utilius sumes acuentes lumina rutas.* Virg. in Moreto,  
*Comas apij graciles, rutamq; rigentem.* Obsistit vene-  
nis, & in lipothymia, reuocat animum acetō macerata.  
Radix ruta, estate lignescit, quod lignum si incenditur,  
non insuauem odorem emittit. Sertum rutaceum in suis  
habent insignibus, duces Saxoniæ Electores, & duces Al-  
lobrogum.

*Sabucus.*

Serenus, *Ungitur & succis dederit quos parua sabucus.*  
Idem, *Conueniet teneræ radix decoctæ sabuci.* Est apud eun-  
dem nomen arboris, vt, de eius pomis,

*Vel frons lentisci, vel tristia poma sabuci.*

Item de acinis,

*Prodest ex paruis acinos potare sabucis.*

Saluia minor odoratissima.

Saluia filuestris

Saluiam vocat Serenus elelphacon, vt est in glossa exem-

plaris Lugdunensis.

Saliunca.

Virg. in Buc. Lenta salix quantum pallenti cedit oline,  
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis.

Samsucum

Meteran.

Col. Nataq; iam veniant hilari samsuca Canopo. Loqui-  
tur autem de Aegyptio. Dicitur amaracus alio nomine.  
ebri Virg. i. Aeneid.

vbi mollis amaracus illum

Floribus, & dulci aspirans complectitur umbra.

Sanguinaria

è nouis insulis, herba Martis appellata, rumicis species.

Sanguisorba

Hergotsbertle.

Hæc Italica pimpinella.

Satyrion

Herba fascinalis, à Satyris appellata.

Scabiosa

Apostemen fraut.

Scilla

Ein meerzwibel.

Alias squilla, vndè proverb. E scilla non nascitur rosa,  
aut hyacinthus. Item alterum, Scillam è sepulchro velli-  
to, de quibus Erasmus.

Scordium

Scorpoides

Sedum maius & minus Haufwurk.

Col. Profuit & plantis latices infundere amaros

Marrubij, multoq; sedi contingere suco.

Serpillum

Kümmel.

Virg. in Buc. Allia, serpillumq;, herbas contundit olentes.

Sefeli Creticum

Beerwurz.

Silphium

Herba apud Africanos Cyrenenses omniū laudatissima, &  
pulcherrima: quod cum Batti regis imagine suis nummis  
insculperunt. hanc etiam quidam putant esse nostrum leū  
sticum.

Sinapis

Sinapis

Senf.

Lacrymosa apud Serenum. Col.

Seq; lacessenti fletum factura sinapis. Idem,

Decet mordax baurire sinapi. Plaut. in Pseud.

Teritur sinapis scelerata: cum illis qui terunt, priusquam  
truerint, oculi ut extillent, facit.

Sifer

Grizelmören.

Junius acutissimus putat esse Carottas, quas nostri Mören  
appellant, alij gelbe Ruben.

Sifymbrium.

Smilaces

A puella Smilace in hanc herbam mutata, vna cum Croco  
amatore, ut Ouidius 4. Metam.

Smyrnium

Solanum

Lege Erasmus in prou. Strychnum bibit.

Solatrum

Sparganium

Spartum Hispanicum

Spica

Spina alba

Stachys.

Staphyloidendron arbor. Pimpernüsslein.

Fructum fert & siliquam auellanis similem, tota aspectu  
pulchra.

Stæchas Arabica

Sycomorus.

Arbor peregrina pulchra, de qua Iudas suspendisse se per-  
hibetur.

Simphytum, consolida maior Waltwurs.

Tages

Flos ex Africa deportatus, è ruinis Carthaginis bello Tune-  
tano, singulari pulchritudine: sed odore ingrato & feriente.

Teucrium verum

Africanische negeln.

Quod

Quod in ruinis Romæ inneni.

Thlaspi Merretich.  
Raphanus maior.

Thymbra  
quæ & Satureia, & cunila, odore grata, Statius i. Sil.  
Floribus innumeris, & olenti spargere thymbra. Serenus,  
Ac thymbra speciem, quam commemorant cephaloden,  
Prædicti spleni Deus Idæ posse mederi. intelligit autem  
Apollinis oraculum. Thymbra viuere est, victu mundo &  
tenui viuere, & contentum paucis esse. E thymbra non  
effeceris lanceam, cum de re loquimur, minimè conueniente aut commodata.

Thymus Welscher quendel.  
Multis locis celebratus à Virgilio, tanquam cibus apum  
gratissimus. Thymo dulcior, ait in Buc. proverbialiter.  
In Attica & Sicilia nobilis, vnde Cecropius & Hyblaës, &  
odorem eius in melle deprehendi, idem auctor est in Ge-  
org. In Aeneide,

redolentq; thymo fragrantia mella.

Mart. lib. 5.

Hyblaës madidas thymis placentas. Gratus thymus di-  
citur, quod odore delectet. Ouid. 5. Fast.

Ad violam, & cytisos, ad thyma grata voco.

Item Seneca,  
Et mixta odoro Lesbia cum thymo.

Tithymallus myrsinutes Wolffsmilch.  
laëtula marina. Tithymallo oculos inungere, sibi dam-  
num ipsi inferre. Lege proverb. Tithymallus Laconicus.  
Adolescentes qui student barbam nutrire, tithymallo ge-  
nas malasue inungunt, cuius acredo cum mirificè faciem  
deformet, sunt alijs risui.

Tragacantha

Tragium Dioscoridis

Tricho-

Trichomanes, seu polytrichon

Klehe.

Trifolium  
Tripolium

quod nonnulli Hesperium vocant, quia flos eius post solis occasum, spirat suauissimè.

Triticum Bactrianum

Indianisch forn.

Thuffilago

Narrenkolben.

Typha

Lanugo eius auribus incidens parit surditatem: nascitur in piscinis, & locis viginosis.

Valeriana

Baldrian.

Veratrum album

Nießwurz.

Lucret. lib. 4. Præterea nobis veratrum est acre venenum,  
At capris adipes & coturnicibus augent. Pers. sat. 1.  
non hic est Ilias Acci Ebria veratro. id est, non moror  
eum, qui helleboro quasi ebrius est, & insania laborat.

Veratrum nigrum

Vide supra, Helleborum. Veratro nigro regis Argiuorum  
filias, ira Iunonis furentes, sanauit Melampus.

Verbascum

Königskerz.

Etiam album & nigrum.

Verbascum montanum

purpureum.

Eisenfraut.

Verbena *βοτάνη*, pro quavis herba. Teren. in Andr.

Ex arabic sume verbenas tibi. Cic. 6. Verrina, En-  
nam cùm venissem, præsto mihi sacerdotes Cereris cum  
infusis ac verbenis fuerunt. Virg. in Buc.

Verbenasq; adole pingues, & mascula thura.

Plaut. in Truc. Fer huc verbenam & thus. Hor. Car. 4, 11.

ara castis vincita verbenis. Eadem quæ & verbenaca,  
de qua Plin. 25, 9. Hac Iouis mensa verritur, domus pur-  
gantur, lustranturq;.

Vettonica

## Vettonica.

Serenus, *Vettonica mansus siccabit lumina succus.*

## Violæ

*Violen, feilgen.*Indicium verni temporis hic flos est. Reperiuntur apud nos  
nigræ, albæ, pallentes, cœruleæ, item duplicatae violæ.  
Horat. Carm. 3, 10. *Et tintetus viola pallor amantium. cum*  
*alijs floribus iungantur, pulchritudinis causa,* Stat. 1. Sil.*Tu modò fronte rosas, violis modò lilia mixta*Excipis. Coronæ, quæ Laribus imponebantur,  
violaceas fuisse, unus prodit Iuuen. Sat. 12. *laribusq; paternis**Thura dabo, atque omnes violæ iactabo colores,*  
Dijs item Manibus sacras ostendit Ouid.*Tegula porrectis satis est vallata coronis,**Et sparsæ fruges, paruaq; mica salis,**Inq; mero mollita Ceres, violæq; soluta,**Hæc habeat media testa relicta via.* Serenus,*Infectum violis oleum bene consultit auri.*

## Ulpica.

Col. *Alliaq; infrattis spicis & olentia late**Ulpica.*

## Vmbilicus Veneris.

## Vrtica

*Nesseln.*

## Vrtica iners

*Tode nesseln.*Viuere herbis & vrtica est, apparatu tenui & oblato viu-  
re apud Horat. Epist. 1, 12.*Si forte in medio positorum, abstemius herbis**Vnius, & vrtica.* Et apud nos prouerbium est, Vr-  
tica mature mordax, verè est vrtica. Ouid. 11. de Arte,*Aut piper vrticae mordacis semine miscent.*Xyphion,  
quod victoriale vocant.

Xyris maior, minor.

*Wandseussen fraut.*

IN

IN ANNALES  
MISNENSES GEOR-  
GII FABRICII

*Christophorus Schellenbergius.*

**C**VI non visa prius fuit vrbs, neque cognita scriptis,  
 De qua terra vetus Misnica nomen habet,  
 Hec legat: inueniet quod prospic, quodq; legentem  
 Delebet, curæ nec sit inanis opus.  
 Tempora qua fuerint, ortæ quis conditor vrbis,  
 Quæ crescens vltra bis tria secula stetit:  
 Praefulibus quibus vfa, quibus regnata Dynastis,  
 Et quorum meritis amplificata Ducum:  
 Quo venerata Deum cultu, quibus inclyta rebus,  
 Experta & fato quas sit agente vices:  
 Et quidquid decoris, quidquid laudabile Misnae  
 Urbs habeat, pulchrum qui tibi scire putas:  
 Illustri velut in tabula breuitate diserta,  
 Pagina te melius Fabriciana docet,  
 Quam si pictura Zeusi describeret arte,  
 Aut fuso præstans fingeret ære Myro.  
 Formet hic in statuis, illam si cerneret vrbem,  
 In tabulis pingens exprimat ille suis,  
 Incundi formamq; situs, speciemq; locorum,  
 Et pomis hortos, & inga facta mero,  
 Et magni fluctus Albis, Trebisæq; rapacis  
 Torrentem, & Meisa parua fluenta brenis:  
 Et super Albis aquas operosorum arte fabrorum  
 Structum roborei pensile pontis opus:  
 Et turrim ad summum templum, quæ peruvia nullis  
 Stat pluuijs, quamvis plena foraminibus:

Praefulsi

Praesulis atque domum celsam, & cum Principis aree  
 Magnifica, Afrana splendida tecta schola:  
 Et quidquid pulchri sine intra mœnia, portas  
 Extra sine tuas Misna celebris habes,  
 Hæc vel picta iuuent oculos, vel sculpta: sed ipsa  
 Doctorum non sunt æquiparanda libris:  
 In quibus ingenij plus est, cupidosq; legentum  
 Überiore animos cognitione iuuant.  
 Delet Apelleos longæna senecta colores,  
 Inquinat informis Mentoris era situs.  
 Ipse operum solidæ moles abolentur ab annis,  
 Sponte sua tandem saxa tecta ruunt.  
 At sius ingenij honor omne perennat in ænum,  
 Doctaq; victurum dant monumenta decus.  
 Id quod in his præstat modò dignæ annalibus vrbi  
 Fabricius Mysa conditor historiæ,  
 Quo nemo antiquo felicius eruit ævo  
 Scitu digna, canens res, loca, facta, viros.  
 Felix vrbs tali laudum præcone tuarum,  
 Qui laudem ingenij nobilioris habet.  
 A quo de priscis etiam instaurata ruinis  
 Spectatur cultu Roma recente vetus.  
 Romam Fabricij cupidè quicunque reuoluit,  
 Nunc opus eiusdem te quoque Misna leget.  
 Quæ vati tantum debere fatceris isti,  
 Quantum de te alium promeruisse nego.  
 Treueris & Narbo, atque vrbes aliae, ipsaq; quondam  
 Burdigale Decij Burdigalenſis opus:  
 Urbs cantata tibi Celtes Pegnēsis, & Hesse:  
 Et Buschi, atque Gigas Lipsia dicta tibi:  
 Mons Annæ tibi Barthe, tibi Fribergæ Bocere  
 Carminis Heroo commemorata pede.  
 Magna suis merito referunt accepta poëtis  
 Ornamenta, & ijs præmia digna ferunt.

Tu quoq;

Tu quoq; Fabricio debes hoc gratior esse,  
 Est decori magno quo magis ipse tibi.  
 Ipse tuam dignis laudat cum ciuibus vrbem  
 Misna, per hos magnum nomen adepta libros.  
 Ipse colonorum viua quoq; voce tuorum  
 Pieria docilem format ab arte gregem,  
 Et quam præterea non vna terra iuuentam  
 Misnis in illustrem mittit ab vrb'e scholam.  
 In qua bis denos, & tres iam durat in annos,  
 Et gerit iuista Thespia sceptr'a fide,  
 Commissam patrio complexus pectore pubem,  
 Hanc vt filiolos curat amatq; suos,  
 Totus in hoc, vt eos auctos pietate, bonisq;  
 Artibus, in patriam quemq; remittat humum.  
 Hoc agit, hoc vnum votis iterantibus optat,  
 Optantis nec sunt irrita vota viri:  
 Sed dans auxilium, cætus cum naue pusilli  
 Omnipotens sanctum prouehit aura ducem,  
 Ut sperata pi' contingant littora nautæ,  
 Ingenua redeant merce granesq; domum.  
 Haud plures Minyas decora Hellados, Aemonis Argo  
 Aurea ad Aeæ vellera misit ouis:  
 Nec plures Graiūm proceres in capta profudit  
 Pergama fallacis venter acernus equi:  
 Quām schola Fabricij iuuenes emisit in orbem,  
 Prestantes studijs ingenijq; bonis,  
 Quos passim externi fines, quos Tentonis ora,  
 Misnia & in primis angulus omnis habet:  
 Quorum aliis diuina refert oracula plebi  
 Christiadūm, curis iuigilatq; sacris,  
 Membra aliis morbo lenat ægra potentibus herbis:  
 Aequa aliis causas iura professus agit.  
 Est qui consili' prudens, rerumq; peritus,  
 Cesareum summo seruat honore latus.

Est qui præclaræ feliciter instruit artis,  
 Augusta Augustos cognitione Duces.  
 Aut qui magnanimis comes est heroibus, aut qui  
 Publica curarum templa senator init.  
 Hunc profitentem audit, Musarum inuenta, Lycaum,  
 Illum doctorem hec, hunc habet illa schola.  
 Sunt quoq; non rari, qui docto carmine pollut,  
 Et scriptis sunt nomina clara libris.  
 Dicere gymnasij cunctos Misnensis alumnos,  
 Et quo quisq; gerat munera quæq; loco,  
 Sit mora longa, & si cupiam, mibi pluribus horis,  
 Et mibi sexcentis versibus esset opus.  
 I nunc, & tali lingua improba detrahē ludo,  
 Et præceptores discipulosq; preme.  
 I nunc Fabricij curas & carpe labores,  
 Ipsius & fructus pulpita ferre nega:  
 Et sine has causas affinge docentibus, illas  
 Sine: scholam pueros dic & habere malos.  
 Quis neget hoc? sæpe est haeres patri vnum & alter,  
 Alter & ex illis est, vel vterq; malus.  
 Asseclas tantum bis senos Christus habebat,  
 Et tamen ex illis proditor vnum erat.  
 Aedificante Deo sibi puri altaria cultus,  
 Extruit impurus ponè facella Satan.  
 Hic idem sua rns in idem zizania sparsit,  
 In quod adoris erant semina iacta boni.  
 Sæpe fit hoc etiam, bene culta vt gleba colono  
 Prouentu semen dispare reddit idem.  
 Ecquis agros adeò felices possidet, vt non  
 Insit in his lolium, lappáue, sive rubus?  
 Non omnis fructum lazo fert arbor in horto:  
 Mixta salutiferis nascitur herba nocens.  
 Non tamen est agros ea culpa colentis & hortos,  
 Sed, si qui minus est ingeniosus, agri:

Sic quibus ingenium durum, & tractabile non est,  
 Si pueri nequam, si manentq; rudes,  
 Non illud possunt ludi prestatre magistri,  
 Spectati sanctis moribus, arte, fide.  
 Quantum opera precium est prauam formare iuuentam,  
 Quām graue fers morum sancte magister onus?  
 Hoc sed inexpertus, curae ignarusq; scholaris,  
 Dicere nemo potest, credere nemo solet.  
 Hei quām difficile est alienam educere prolem,  
 Si pater & mater non indulgenter haberent  
 Progeniem, facerent officiumq; suum,  
 Atq; coērcerent virgis & fuste suorum  
 Stulticiam puerū nequiciamq; domi,  
 Nec genitor natis esset peccantibus auctor,  
 Exempla in sece nec vicia daret:  
 Non ita difficiles formanda in plebe labores  
 Praeceptorum essent, proficerentq; magis:  
 Nunc quando non voce minax, non fronte severus,  
 Non durus dextra est verbera dante pater:  
 Et nimium stulta leuis indulgentia matris  
 Filiolos teneros, quā libet, ire sinit:  
 Cum cornu sint oua mali mala, degener bæres  
 Atq; ipsis similis, qui genuere, manet.  
 Sic fit uti pueros, nulli expugnanda magistro,  
 Huc illuc leuitas improbitatis agat,  
 In rectam ut nequeant nec voce monente reduci,  
 Nec ferula plagas increpitante viam,  
 Num minus est ergo bonus, & preceptor amandus,  
 Cui malus interdum est discipulusq; rudis?  
 Discipuli indoctos docti, ignarosq; scientes  
 Nempe docent, doceat quām bene Fabricius,  
 Qui nil Fabricio discit doctore, docendus  
 Non erat, & doctum non fore dico virum.

Cumq; sit indocilis, desistat velle doceri,

Hanc nequidquam, in qua proficit arte nihil.

Ergo vale dicto, quæ tradunt ardua, Musis,

Artem humilem discat difficilemq; minus,

Et faber, aut pistor, seu fiat linteo, siue

Vincla suat, corio de bouis, apta pedi.

Nesciat & Phæbi cùm carmina, carminet agni

Vellera, & ad vestes lanea texta paret.

Qui verò ingenuas aliquid vult scire per artes,

Fabricio studijs præside, doctus erit.

Phæbus ut Aonio fonti, sic carmine Phæbūm

Fabricius referens præsidet Albis aquis,

Ex quibus innumerī faciunt diuortia riui,

Hauriat ut plenis, qui sitit, inde labris.

Fabricius studijs nullius defuit vñquam,

Si non discipulus defuit ipse sibi.

Fama scit, atq; æqui pariterq; fatentur iniqui,

Et malus hoc linor dissimulare nequit,

Quantum idem vates præcellat in arte docendi,

Discenti certus duxq; , bonusq; pater.

Qui si doctrina transfundere mente vel uno

Possit in os & cor in puerile fauos,

Non detrectet onus, parcatue laboribus ullis,

Cuncta sua sectans emolumenta schole.

Hic nisi me puerum mores docuisse, & artes,

Haud ego nunc pueros ista docere queam.

Tunc ego nauta tener petij, cen Colchida, Misnam,

Ducendus puer, & tyro docendus adhuc.

Tu, Fabrici, ductor mihi, tu doctrorq; , Georgi,

Typhis in Aonia puppe fidelis, eras.

Præbebat facilem ludus mihi Principis Argo:

Litterulae aurati velleris instar erant,

Virtutesq; , tui quas in te cernere mores,

Cen verax speculilænis imago, dabant.

Tunc capi, praeunte tuae mibi voce Thalia,  
 Verba poetarum more Latina loqui.  
 Primus & auctor eras, ut se mea credere famæ  
 Pieris ausa, palam scripta legenda daret.  
 Accipis ergo meos merito tua munera versus,  
 Et gratis dederas quod mibi, reddo tibi.  
 Hoc ego ni fatear de te, non vera profatus:  
 Hoc tibi ni praestem, sim male gratius homo.  
 Sic nisi nutritset schola me Ducas alma benigni,  
 Cui das excelsum Misna profunda locum,  
 Non essem, quod sum fati bonitate, sed illud  
 Quod duo erant fratres cum genitore meo,  
 Quos labor absumpit durus, plenusq; pericli,  
 Terra rimatos antra metalliferæ.  
 Vos ò vietturo Musarum carmine digni,  
 Saxonici imperij lumina clara, Duces:  
 Gratia sit vobis ludos condentibus illos,  
 Quos Sala, & Moldæ, flumen & Albis adit:  
 Quos non esse quidem scelerati dæmonis optant,  
 Ut pereant artes cum pietate bona.  
 Qui velut in vestra coniurant damna salutis,  
 Et vos sepe petunt insidiante dolo:  
 Sic odio vestri, qui Musas vsque fonetis,  
 Sepe locant istis retia cœca scholis.  
 Que nisi sint, non læta diu Respublica stabit,  
 Doctorum numero deficiente virum.  
 Sed quod hic in vestris non deficit hactenus oris,  
 Floret & ingenijs Misnia plena bonis.  
 Misna & Grima facit cum Porta: copia vobis,  
 Et venit è ludis gloria tanta tribus.  
 Quorum Mauricius primam laudem inclitus auctor  
 Tollat, & a populo pectora grata suo:  
 Perpetuumq; valens viuat, cœliq; fruatur  
 Læticia aternis exaturante bonis.

Altera laus Auguste tua est tota, optime Princeps,  
 Marte potens, placida nec minor arte togæ.  
 Quo nemo Phæbi delubra augustius ornat,  
 Donaq; dat docto diuitiora choro.  
 Sint tua cum vita tibi salua superstite regna,  
 Illustres tecum sint super atque scholæ.  
 Assere constanter generosa mente Camænas,  
 Sis foris Alcides, Musagetesq; domi.  
 Inde canenda tibi sument præconia vates,  
 Hæc erit in laudes area lata tuas.  
 Ad quas hoc etiam spæcat, quod in urbis honorem  
 Albina historicum prodit hic auctor opus.  
 Nam quisquis populos, florentes laudat & vrbes,  
 Felicis laudat Principis ille statum.  
 Principis est virtus cum ciuibus oppida quæq;  
 Nosse suis, vt cum nouerit ista bona,  
 His rectè vtatur, pulchræ ditionis agatq;  
 Pro donis grates, qui dedit ipsa, Deo.  
 Ac amet, atque aliqua mercede remuneret illos,  
 Qui scriptis ornant oppida, gesta, viros:  
 Qualis hic, annales hos qui modò publicat auctor,  
 Felici ingenij dexteritate sui.  
 Qualis, eum Thule si Taprobanéne teneret,  
 Ex illo, aut ex hoc orbe petendus erat,  
 Et prece poscendus, precio redimendus & auri,  
 Et primas inter charus habendus opes.  
 Qui paruos pueros doctrina, laudibus autem  
 Ornat magnorum facta decora Ducum.  
 Et doctus cantus dat, ludibrioq; strepentis  
 Phæbus gerras anseris oscen habet:  
 Et supra inuidiam magnis cum ratibus omnem,  
 Exerit ornatum Daphnide fronde caput:  
 Atque aliiquid semper, non vnquam incude relixta,  
 Fabricius fabricat, docta quod ora legant.

Nescio quid maius dabit his annalibus idem  
 In lucem, quod adhuc sedula lima polit,  
 Saxonie ducibus gratum, genti⁹q; futurum  
 Misniacæ: interea hos hæc legat ipsa libros.  
 Hanc &, Misniensi quæ nomen cepit ab urbe,  
 Cui si grata sui modo origo est nominis, æqua  
 Censura hoc de te, Misna, probabit opus.  
 Misna decus gentis, felici sidere nata,  
 Uſaq; fortunæ prospere rota:  
 In Thaleminciaca terra cui conditor Auceps  
 Veram Euangelij doctrinam, & sacra professa,  
 Fidum Ecclesiæ Christidos hospitium:  
 Antiquis celebris studijs, & tempore nostro  
 Illustri multum nobilitata schola:  
 Misna Ducum natalis humus, tumulusq; , sacrisq;  
 Tempore præſulibus cara priore domus:  
 Cui cum priuatis ornata est curia tectis,  
 Cumq; sua laudem plebe senatus habet.  
 Ciuib⁹ egregijs, & moribus aust̄a probatis,  
 Artibus vsa pijs, rebus amica bonis,  
 Nomen in his libris modò nacta perennius amni  
 Pro portis fluctus præter agente tuis,  
 Plaude tibi agnoscens bona & ornamenta tot esse,  
 Pectore quod grator semper amante tui.  
 Te sine Fabricij fit apud me mentio nulla,  
 Et sine Fabricio mentio nulla tui.  
 Qui cùm me docuit, pater est mibi cultus vt alter,  
 Altera tu culta es patria Misna mihi.  
 Diligo montem Annae, Misnam colo: natus in illo,  
 Ut tibi sexennis mercedem soluere possem  
 Hospitij, voti res foret illa mei.

Quid loquar antiquum meritum, quod Misna dedit?  
In patriæ ciues officiosa mea?

Tunc Leonhardus ubi montem Badehornus in Anna,  
ut regeret ludum, missus ab urbe tua est.

Ipse mihi primus præcessit in Aona ductor,  
Et primos flores ex Helicone dedit.

Etiuga me dicens secum super alta, viamq;  
Virtutis monstrans, hoc, ait, ibis iter.

Sed non plena viri potui vestigia tanti  
Aequare, huic nunquam parq; sequendo fui.

Qui me præteriit tantum, quantum ante volavit  
Pegasus, aut alios Cyllarus acer equos.

Quantus in urbe Solon Cecropis, Spartæne Lycurgus,  
Quantus in Ausonio Scæuola iure fuit:

Tantus elistrinas hodie Badehornus ad vndas  
Nestoreo leges explicat ore fori.

Ut taceam reliquos, quorum natale fuisisti  
Misna solum, potes hoc esse superba viro.

Per quem quando mihi, per Fabriciumq; benignè  
Fecisti, meritæ quas tibi reddo vices?

Nil dare possum euidem, sed quod pia numina pro me  
Ambobus soluent, grande Mineralia erit.

Hoc animum verò gratum tibi carmine testor,  
Hæc tui inoblitæ pignora mentis habe.

Inprimisq; tuam cumulantia laudibus urbem  
Scripta feras grata Fabriciana manu.

Et complexa virum, Musæ venerabile nomen,  
Et foucas doctis, & mibi dulce caput.

Auget ut ille tuum gratissimus hospes honorem,  
Hospita preconem sic cole grata tuum.

Omnia propitijs tibi sic sub numinis umbra  
Sint cum priuatis publica salua bonis.

Perpetuatq; velut fluebas tuus Albis euntes,  
Sic tuus è iugi fonte perennethonor.

SIFFRIDI  
 Misnensis Presbyteri  
 E P I T O M E S  
 LIBRI II.

JOHANNES VOGELIVS.

Viue liber genio felici, vade beato  
 Aufifice doctorum clara sub ora virum.  
 Plurima tu memoras urbis Misneidos acta,  
 De riuo nomen quae regionis haber.  
 Et, que Siffridus diuersas gesta per oras  
 Colligit, placida simplicitate refers.  
 Viue liber, viuat tecumq; Georgius autor,  
 Carmina qui Phœbo digna canente facit.  
 Et sanctos Christi Musas deducit in hortos,  
 Ne leue quid lefa religione, sonent.  
 Quo, teneris pueros formando magister ab annis,  
 Vix unquam melior virgea sceptra gerit.  
 Vera puto, & multos præstanti nomine testor,  
 Qui quondam ipsius membra fuere schole.  
 Nunc Ducibus populisq; simul virtutibus, arte,  
 Et pura Christi cognitione placent.  
 Fata viro parcant: sed post quoq; funera præsens  
 Discipulis, & perscripta superstes erit.



275

GEORGIVS FABRIC.  
CHEMNICENSIS  
VIRO MAGNIFICO ET ORNA-  
TISS. D. LEONHARDO BADE-  
HORNO IVR. ET CON.  
LIPSIENSI,  
S. D.

**A**d quem potius mitterem Siffridum Misnensem, veterem Chronologum, quam ad te vir Magnifice, inueni neminem: nam & suauissima coniunctio in patria inter nos fuit, & societas apud exterorū fidelis, nec ex hac vrbe vllum habeo amicum aut necessarium antiquorem, & maiore doctrina atq; dignitate excellentem. Annalibus autem patriæ tuæ hunc adiūcere auctorem placuit, & quia Misnensis fuit, & argumentum meo non valde dissimile tractauit, & quia temporum suorum vir non indiligens, vixit enim ante annos ducentos & sexaginta duos. Excerpti ex illius libris hac Epitome, quæ ad nostrum propositum visa sunt aptissima, & quæ aut in alijs non inueniuntur, aut certè commemorantur breuius vel obscurius. Nam post creationem mundi in suo opere ea recenset, quæ in libris sacris traduntur, & historias addit Ecclesiasticas sanctorum, quæ apud scriptores veteres Græcos & Latinos leguntur ornatius & copiosius. Sunt & alia Chronica Misnensis, propria huius vrbis. Vnum, quod in clade Austiana definit, nondum in vulgus editum, scriptum lingua vernacula. Alterum, quod est Veterocellense, quod solum nomen Chro-

Chronici Misnensis nunc obtinet, estq; è Conrado  
Presbytero Lauterbergio , magna ex parte de-  
sumptum : de quibus erit alias aliquando dicendi  
locus. Nunc Siffridum ciuem tuum tradimus, &  
sub auctoritate nominis tui grauissima communi-  
camus cum multis : Opusculum breue , sed , vt ipse,  
vir sanè modestus ait, sibi propter intelligentiæ tar-  
ditatem , & rerum inopiam , valde laboriosum.  
Spero te vir Magnifice , hoc munusculum exiguum  
pro nostra vetere necessitudine , & pro mea omni  
tempore debita tibi obseruantia , boni consultu-  
rum. Vale. E ludo illustri Misna , Idib. Sept. anno  
à nato Christo seruatore , d M D XIX.

SIFFRIDI

4

SIFFRIDI  
PRESBYTERI MIS-  
NENSIS EPITOMES  
LIBER I.

DE MARTIANO IMPERATORE  
ET VANDALIS.

CCCCLVIII.

MARTIANVS Imperator regere cœpit, hic reli-  
giosus fuit, & egentibus multa beneficia præstítit.  
Huius tempore Vandali Romam ceperunt & spoliaue-  
runt.

Abbas ordinis Cisterciensis in monasterio, quod Vol-  
coroda dicitur, situm in Turingia, trium virginum cor-  
pora de Colonia Agrippina transtulit, effossa terra, per  
Thymonem quandam, quæ illi erant in somnis monstrata.

Volcoro-  
da monaste-  
rium.

DE SIMPLICIO PAPA.

CCCCLXV.

Simplicius Papa à sancto Petro LI. ordinatur, hic con-  
stituit, vt nullus Pontifex sibi successorem constituat, sicut  
& sanctus Clemens instituit.

DE REGE VANDALORVM  
HYNERICO.

CCCCLXXVII.

Hunericus rex Vandalorum trecentos triginta tres  
Episcopos

E lingues episcopos catholicos, & eò amplius exiliat, & quibusdam  
tacuti. linguas amputat, qui tamen postea bene prædicarunt ver-  
bum Dei, sed unus eorum propter fornicationem, dono  
illo est priuatus.

DE ATHANASIO IMPERATORE,  
ET DE SCHISMATE ROMANO.

CCCCXCIII.

Athanasius imperator regere cœpit, & discordia mag-  
na Roma facta est in electione Papæ, quibusdam eligenti-  
bus Symmachum, quibusdam Laurentium. igitur in illa  
discordia Romæ, multa homicidia, tam ciuium Roma-  
norum, quam clericorum & sacerdotum, facta sunt, sed  
Symmachus præualuit.

DE OLYMPIO ARRIANO.

Pœna blasphemiz. Arrianus quidam Olympius, dum lauaret in balneo, &  
de fide sanctæ Trinitatis blasphemias loqueretur, subito  
igneus gladius de celo veniens, ipsum interfecit.

DE ANASTASIO IMPERATORE.

Anastasius Imperator, hereticus Arrianus, in flumine  
perijt.

DE ERINFRIDO REGE TVRINGORVM

Erinfridus  
Turingus. Tempore Anastasi Imperatoris & Theodorici regis  
Veronensis, dux Turingorū fuit Erinfridus, qui in uxorem  
acceperat regis Francorum Theodorici filiam. Facta dis-  
cordia inter eos, rex Francorum Theodoricus bellum in-  
tulit

tulit duci Turingiae Erinfrido, sororis suæ marito, ipsumq; humiliare cupiens, auxilium Saxonum postulauit, & stipendia tribuit quindecim principibus eorundem. Saxones tum nondum possederant illam prouinciam, quæ nunc Saxonia dicitur, terraq; Turingiae tunc ad fluuium Albim terminabatur, in ijs metis, quibus nunc Magdeburga metropolis est constructa, quæ nondum erat ciuitas: & Saxones necedum fidem Christianam receperant, nec baptisma, eratoq; tunc Turingia terra spaciosa, quæ à natione Franco-ru protendebatur, vsq; ad Oceanū, contra septentrionem. In hoc prælio rex Fridericus, qui & Theodoricus vbiique præualuit tantum, vt captis munitionibus ducis, ipsum tandem multis exercitibus tam Francorum quam Saxonum vallauit in ciuitate, quæ Schindingen dicitur, sita ad ripam fluminis, quod dicitur Vngestrute. Cum ergo dux Erinfridus manus obsidentis effugere non valeret, ducissa, germana scilicet regis, misit ad regem Francorum flebili-ter supplicans, ne sororem suam viduam fieri, & filios eius orphans pateretur. Rex misertus sororis & filiorum, iporum precibus annuit, factaq; pace, & portis ciuitatis apertis, ingressus ciuitatem, cum duce & populo, cœpit amicè coniuari, Saxones autem in campis foris remanerunt. Quidam verò miles ducis, Iringus nomine, tale consilium dedit regi & duci, vt quia Saxones Turingis non pro eo merito reciperent talionem. Hoc consilio apud regem approbato, quidam venandi gratia ciuitatem exiit, consiliumq; Saxonibus detexit. Saxones irruentes in ciuitatem, regem & ducem cum vniuerso populo, qui in ciuitate repertus fuerat, occiderunt. deinde in reliquum vulgus Turingorum sauientes, quidquid masculini sexus inter fluuios Albim & Vngestrute prostrauerunt, & sic illas partes Turingiae vsque in hodiernum diem Saxones possede- runt.

\* Erin-

\* Erifridus ab aliis omnibus Herminfridus non recte dicitur, nam Erifridi nomen etiam apud Cassiodorum in epistolis legitur: vt habent antiqua exemplaria manuscripta.

## DE THEODORICO VERONENSE.

### D X I X.

Mors fabu-  
losa.

Iustinus Major zelo fidei persequebatur Arianos, quos Theodoricus Veronensis, qui imperium usurpauerat, Roma fouit: sed dicto Iustino, Papa Iohanne mediante, vtro-  
biq; ad tempus est cessum. Tandem Theodoricus Vero-  
nensis malè perijt, in montem Aetnam detrusus.

\* Idem scribitur de Hattone antistite Moguntino, qui Albertum comitem Pabebergium prodidit, & Henricum I. Duxem Saxonie, po-  
stea Imp. prodere voluit.

## DE IVSTINIANO.

### D X X V I I.

Pagani in  
exercitu  
Imp. non ad  
missi.

Iustiniianus Imperator regnauit annis x x v i i. hic leges per multa volumina diffusa compendiose collegit, faciens codicem. Multos ad fidem conuertit, & multa bo-  
na fecit, ipse etiam sententiam promulgauit, ne pagani vel haeretici militarent, dans eis tres menses induciarum con-  
uerisionis ad fidem.

## DE FESTO HYPANTES.

### D L I.

Hypante  
Domini.

Sub Pelagio Papa, & Iustiniano Imperatore, sumpsit initium apud Constantinopolim, vt Hypante Domini, id est, Purificatio beatæ Mariæ virginis solenniter celebra-  
retur.

\* 1522

\* <sup>Ex atri ab oblatione & amplexu Simeonis</sup> quod more Ebræo punitio: ab apparitione stellæ <sup>Ex atri</sup> dominatur. Hypantes nomen etiam Gemblacensi & Vrbergensi notum.

## D E L O N G O B A R D I S ,

## D X L V I I I .

Narses Patricius in Italiam Longobardos duxit. Longobardi quondam Vinuli dicti, de quadam insula Teutoniæ transmigrantes, terram sibi ad habitandum querebant. Transeuntes autem Turingiam, cum & ipsi essent Teutonici, quendam sibi Turingam in regem elegerunt. Inde castra mouentes ad Gallias profecti sunt, & ibidem, quandam terram incolentes, per multos annos demorati, & inde rursus recedentes per Narsen Patricium in Italiam (vt iam dictum est) deducti sunt. Pugnaturi cum Italicis, Narses eu- cæsariem mulieribus suis circa mentum ligabant, vt viri eius Roma- crederentur, quia tunc temporis viri barbam nutriebant. nucus patri- Quia ergo in illo congressu longis barbis vñi sunt, longi- bardi sunt appellati, à longa barba, quia in lingua eorum Longum dicitur *Lang*, barba *bard*. Isti quondam Mer- curium coluerunt, quem Gotham vocabant, vnde adhuc in Teutonico Deus dicitur Goth. Vinuli ergo, qui & Lon- gobardi, magnam stragem facientes, Italiam expugna- bant, quam extinc possederunt vñq; in hodiernum, & Teu- tonici idiomatis obliti, Latini facti sunt.

## D E P E S T E R O M A N A ,

## D L X X X I .

Romæ pestis inguinaria fuit. Fuit autem pestis inguinaria apostema sive inflatura in inguine, tam sœua, vt homines in via, in mensa, in ludiis, in colloquijs subito morentur. Pestis in- guinaria.

T

rentur. Itaq; cùm quis sternutabat, sape cum ipsa sternutatione spiritum exhalabat. Vnde cùm aliquem sternutantem quis audiebat, statim accurrens, Deus te adiuvet, acclamabat. Et abinde adhuc consuetudo seruatur, vt cùm aliquem sternutantem audimus, Deus te adiuvet, acclamemus. Rursus cùm aliquis oscitabat frequenter & continuò, & subitò, spiritum exhalabat, vnde cùm aliquis se velle oscitare sentiebat, continuò signum crucis sibi imprimere festinabat, & hæc consuetudo usq; nunc seruatur.

## DE MAVRICIO IMPERATORE.

DLXXXIII.

Mauricius Imperium adeptus, regnauit annis xx. Iste compulit Beatum Gregorium electum in Papam suscipere Præsulatum, & tamen postmodò ipsum sanctum persequebatur.

## DE MIRO PRODIGIO.

Quodam tempore Tiberis fluuius alueum egressus, in tantum excreuit, vt super muros urbis efflueret, & plurimas domos euerteret. Tunc etiam per Tiberim multitudo serpentum, cum dracone magno, in mare descendit, Serpentū multitudo luem gignit. sed a fluctibus præfocati, & ad littus proiecti, totum aërem sua putredine corruptunt, & sic plaga pessima, quam inguinariam vocant, secuta est, ita vt etiam corporali visu sagittæ cælitùs venire, & singulos quosq; percutere videantur.

## DE COSDRA REGE PERSARVM.

DCXII.

Her<sup>a</sup>

Heraclius imperium est adeptus. Ipse fuit LXXI. Imperator à Cæsare Augusto. Anno imperij sui 111. permittente Deo flagellari populum suum, per fauiciam paganorum, Cosdras rex Persarum, omnia ferè regna terrarum suo imperio subiugauit. Ierusalem veniens à sepulchro Domini territus rediit, sed tamen partem crucis sanctæ, quam Helena ibidem reliquerat, asportauit. Volens ab omnibus colivit Deus, currum ex auro interlucentibus gemmis fecit, & ibidem solem & lunam, & stellarum imagines collocauit: per subtilem etiam & occultos ductus, quasi Deus, desuper aquam infundebat, & in specu subterraneo, equi quadrigas trahentes in circuitu, ut quasi currum mouerent, & tonitru simularent. Filio igitur suo regno tradito, in tali fano profanus residet, & iuxta se crucem domini collocans, appellari se ab omnibus Deum volebat, & sicut legitur in libro naturali, de officio, ipse Cosdras in throno residens, tanquam pater, lignum crucis à dextris posuit, loco filij, &

\* Fuit hic  
Cosdras seu  
Cosdroës II.  
qui regnauit  
an. 33. men. 3.

Cosdras  
Salmoneum  
Virgili imi-  
tatus.

\* Hoc videtur fabulosum, sed & Contrado II. Imperante, Franci in Palestinam militatum prefecturi, auferem in naui vixerunt loco spiritus sancti, ut est in Annalibus Saxonis: capram, ut in Turingicis. Id fortassis monachi cuiusdam est somnium. In concilio Pisano, cui Baldazar Costa præsidebat, cum invocaretur spiritus sanctus, bubo aduolauit. vt scribit Clemangius.

CLEMAN-  
GIVS.

gallum à sinistris, loco spiritus sancti: se verò patrem iussit nominari. Tunc Heraclius Imperator exercitum copiosum collegit, & contra filium Cosdræ, iuxta Danubium fluuium, dimicaturus aduenit. Tandem utrisque principibus placuit, ut ipsi super pontem lapideum ibi confligerent, & qui victor existeret, ipse sine damno utriusq; exercitus imperium usurparet. Decretum etiam exiit, ut quicunq; principem suum immare præsumeret, crurib. & brachijs abscessis, continuò in flumine mergeretur. Et Heraclius totum se Deo obtulit, & sanctæ cruci se, deuotione qua potuit, commendauit. Ambo-

T 2 bus

bus itaq; in conflietu durantibus , Heraclio victoriam Deus tribuit , & cunctum exercitum suo imperio subiugavit, adeò ut vniuersus populus Cosdræ , fidei Christianæ se subdiderit , & sacrum baptisma suscepit . Cosdras autem ignorabat exitum belli , quia cum omnibus odio esset , id à nemine ei intimatur . Heraclius improviso ad eum peruenit , & in throno aureo eum sedere reperiens , eidem dixit , Quia lignum sc̄. Etæ crucis secundum modum tuum honorasti , si baptismum & fidem Christi suscepis , adhuc vitam & regnum , acceptis à te pacis obsidibus , obtinebis : sin hoc implere contempseris , gladio meo te feriam , & caput tuum præcidam . Cum ille acquiescere nollet , ex traçto gladio eum protinus decollauit .

## DE IMPIETATE ET CAEDIBVS.

DCXXXIX.

Constantius , tertius filius Heraclij regnare coepit , sed perfidia in quarto mense fraude nouercae suæ Martiana , occisus est fratrem . à germano suo Heraclona veneno . Heraclonas occiso fratre suo , regnauit cum matre Martiana duobus annis . Tunc Constans dicti Constantini filius , matrem & filium mutilauit naribus & lingua , & per senatum imperat annis  
xxxii.

## DE CONSTANTE IMPERATORE.

DCXLIX.

Constans Imperator hæresin abdicauit , & Romanum vienens , Ecclesiam S. Petri multis donis sublimauit , & Longobardos frenauit . Ipse in Sicilia fraude suorum in balneo periit , qui Minum quandam Imperatorem creant .  
Constan-

## D C L X X .

Constantinus i i i i . Constantis filius imperium adcep-  
tus est , & Mimum interfecit.

## DE IVSTINIANO IMPERATORE.

## D C L X X X I X .

Iustinianus i i . filius Constantini i i i i . imperium ade-  
ptus , regnauit annos x . Hunc Leontius patricius , naso & tatis exem-  
labris mutilauit , & trib. annis regnum occupauit . Tiberius <sup>pla.</sup>  
autem Absmarus Leontio nasum amputauit , & in mona-  
sterium detrusit , & ipse regnauit annis septem . Tandem Iusti-  
nianus imperator verus , auxilio Terebelli regis Bulgariae  
vtruncq cepit , & per plantas trahi præcepit , & eorum cor-  
da calcavit , populo acclamante , super aspidem & basi-  
liscum ambulabis , & sic decollati sunt . Hunc Iustinianum  
Philippus , quem in Pontum relegauerat , occidit , & reg-  
nauit anno vno . Ipse fuit hæreticus & adulter.

## DE OSVALDO ANGLORVM REGE.

## D C C I I I .

Oswaldus rex Angliae , filius Achæ , sororis sancti regis  
Edimundi , qui etiam pro fide occubuit , frater Osuini , patris <sup>Anglici re-</sup>  
Ostridae , reginæ Merciorum , vir fuit magnarum eleemo-  
ges Christia-  
synarum . In die Paschæ ab Adriano Episcopo Lindifar-  
ni .  
nensti diuina audiens , cum linguam ignoraret episcopus ,  
rex populo interpretabatur . Ea die dum multi pauperes  
confluerent , & omnia iam victualia essent distributa , dis-  
cum argenteum fecit constringi , & dari pauperibus . Cui  
Episcopus congratulans , & manum eius osculans dixit ,

Nunquam putrescit hæc manus. Quod est factum, & permanet usque hodie. Die ac nocte diuinis vacabat, & aut supinis aut flexis manibus gratias agebat. Fratre suo Eanfrido ab impijs perempto, ducem Britonum cum multis super se venientem, ipse erecto crucis vexillo, superauit, in loco qui dicitur Denisbruna. Nono igitur regni sui anno, atatis vero **xxviii**, à rege Merciorum, qui per prædecessorem suum Eduinum peremerat in Maferueldo, Osualdi regis cædes.

Oswaldi regis cædes. cubuit: cuius caput cum brachijs & manibus ignominiose stipite suspenditur. Corpus vero per supradictam neprem suam Ostridam, in monasterio Eicheredo sepelitur. A fratre vero suo Osuno caput eius Lindifarni, brachia & manus in regia vrbe conduntur.

### DE THEODOSIO.

Theodosius violenter coactus, suscepit imperium, & regnauit anno vno. Hic Anastasium Imperatorem magno prælio vicit, & eum fieri clericum coëgit, & Presbyterum ordinari fecit. Similiter & ipse Theodosius postquam regnauit anno vno, factus est clericus, & residuum tempus ritæ suæ in pace transegit.

### DE PRIMO MOGVNTINO ARCHIEPISCOPO.

#### DCCXXVII.

Gregorius **iiii**. Papa ordinatus, sanctum Bonifacium Vormaciensis Ecclesiæ ordinavit archiepiscopum Moguntiæ, & ei pallium dedit. Nam Moguntina Ecclesia antea fuit sub archiepiscopatu Vormaciense, sed archiepiscopatus translatus est à Vormacia in Moguntiam.

DE

## DE DIVO BONIFACIO.

Bonifacius duos episcopos ordinavit, Burchardum & Vuillebaldum, & his curam sui ordinis impertiendo, alterum Vurceburgi, alterum Eichstete intronizavit. Ecclesiæ am quoq; beatæ virginis in Erfordia, cathedralem esse cōstituerat, sed suas literarum Papalium, quod decreuerat, renouauit. Tandem senio fessis membris, consensu & con-  
filiō regis Pipini, qui fratri suo Carolomano successerat, comitē olim peregrinationis suæ, Lullū successorē sibi desti-  
nauit. Eobanum quoq; episcopū consecranci vrbi, quæ dici-  
tur Vtrecht, ad subsidiū sui laboris, præposuit, presbyteros diaconosq; ordinavit, monachos per loca diuersa desti-  
nauit. Ex quib; præcipui fuerūt Vuinteuig, Vualther, Adel-  
her: presbyteri, Haymund, Schirbald. Diaconi, Vuacher,  
Gindher, Hilleger, Bertolf. Hi coniuncti fuerunt vinculo  
charitatis, & participio laboris, iuncti sunt etiā palma mi-  
nisterij, & corona cœlesti. Vuillebaldus de Saxonia fuit ori-  
undus, & a parentibus vsq; ad triennium tenere educatus,  
subito ægritudine grauissima rapitur. Et cum desperaretur  
ab omnibus, voulentur a parentibus, ut eum faciant mona-  
chum, si dominus superstitem illum relinquat. Traditus igitur  
sacris studijs in cœnobio Vualtheim, proficiebat acer-  
rima scientia & religione. Factus iuuenis patrē adjit, eumq;  
multis exhortationibus, peregrinandi labore subire, pro  
amore cœlestis patriæ persuasit, assumpto simul altero  
Vunebaldo germano. Itaq; mari transito, Lucam in Hetru-  
riam deuenierunt, vbi defunctum patrē terræ mandarunt.  
Egressus inde, in monte Cassino monachorum numero se  
fociauit, sed omnes laudabili conuersatione præcessit.

## DE LEONE IMPERATORE.

Leo II. Imperiū adeptus regnare cœpit. Hic in Christia-

Iconoma-  
chia.

nos & Ecclesiam Dei impius & crudelis fuit , Domini saluatoris , & eius gloriose genitricis imagines , & aliorum sanctorum in medio ciuitatis Constantinopolitanae incendio tradidit , & multos Christianos , qui non assenserant huic impietati , decollari fecit .

Beda presbyter venerabilis mortuus est in Anglia .

### DE CONSTANTINO LEO- NIS FILIO.

D C C X L I I .

Constantinus v. filius Leonis Imperatoris , imperium adeptus regnauit annis x x x i i i . Hic perniciiosissimus erat , & recedens à Deo , ac insistens luxurijs , & magicis maleficijs , & sacrificijs idolorum , & invocationib. dæmonum , & persecutionibus Ecclesiarum , malisq; varijs supercrescens , non minus crudelis , quam Diocletianus .

### DE CAROLI MAGNI PROGENIE.

Genealo-  
gia Caroli.

Natus est Carolus Magnus , eodem anno , de cuius genealogia hinc aliqua sunt dicenda . Mortuo Pipino Grosso , qui fuit maior domus regni Francorum , Carolus Martellus filius eius , tres filios reliquit , Carolomanum , Pipinum , & Grifonem . Regnum tunc Francorum ab Aquitania usq; ad Bauariam protendebatur : quod regnum à Priamo , nepote Priami Magni Troiani , mortuo apud Paduam ab Antenore processit : sicut Romani ab Aenea , sed per Casarem subiectum fuit Romanis . Postea cum Valentianus

Alani po-  
puli.

Imperator quosdam populos , qui Alani dicuntur , vincere non posset , fecit edictum , ut qui eos vincerent , decem annos à tributo liberi essent . Vnde Teutonici huius gloriæ cupidi , illos strenue delent , & inde Franci appellati sunt . Sed

Sed rex eorum Carolus Martellus, Francos in duas partes diuisit: partem illam, in qua Sequana & Ligeris, quæ Gau-diana dicebatur, currunt, Franciam & populos Francigenas, id est, à Francis genitos appellavit, & in Teutonico Kerlingen idiomate suo: alteram verò partem, in qua Rhenus currit, Franconiam, cuius populi Franci dicuntur. Pipinus filius Caroli Martelli duxit in vxorem Berchtam, filiam Heraclij, & genuit ex ea Carolum Magnum.

## D C C L.

Pipinus pater Caroli vnctus est in regem à sancto Boni facio, archiepiscopo Moguntino, iubente Papa Zacharia.

## D C C L X X X I.

Constantinus VI. filius Leonis Quarti, imperium adeptus, regnauit cum matre sua Irene annis X V I I. cumq; opprimeretur Ecclesia Romana à rege Langobardorum Haistolpho, nec inueniret auxilium ab ipso Imperatore Constantino: Pipinus rex, pater Caroli Magni, Romanos ab Haistolpho liberauit, & factus est Romanus patricius, & multas gentes vicit. Interuenerat enim pactio inter Pam, & principes Teutoniæ, & Romanos, vt deuictis Langobardis, & alijs imperium vastantibus, imperium ad Imperium Teutonicos transferretur. Translatum ergo est adeos, in personam Caroli Magni, filium regis Pipini.

## D C C X C V I.

Leo I I I I. Papa c i. est ordinatus, sedet annis x x. menses v i. Ipse vngit in regem & Imperatorem Carolum Magnum, Pipini filium.

## D C C C I.

T 5

Ab vrbe

Ab urbe Roma condita M. D. LII. Carolus Magnus  
 Pipini regis filius, imperium adeptus LXXVII. Imperator  
 a Cæsare Augusto, regnauit annis XLVI. quem Leo Papa  
 vnxit & consecravit, & magnifice coronauit. Tunc a cun-  
 ño populo clamatum est in hunc modum, Carolo Magno  
 Romanorum Augusto, & pacifico Imperatori, a Deo co-  
 ronato, vita & victoria. Leo Papa illi claves confessionis S.  
 Petri, & vexillum urbis Romanæ, cum alijs munerib. misit.  
 Carolus iste dilatauit fidem catholicam, fundauit mona-  
 steria & Ecclesiæ: æquus fuit iudex diuini & pauperi, ad  
 eleemosynas largus, diuinis intentus. Cum igitur esset Chri-  
 stianissimus, & circa diuinum cultum sollicitus, rogauit  
 magistrum suum Alboinum, ut historiam & officium com-  
 poneret de sancta Trinitate, ut per hoc errores emenda-  
 rentur, & dubia discederet deuotio, & securitas fidei auge-  
 retur. Quibus peractis, cœpit festum Trinitatis a multis  
 quorum principum auторitate fuerat ordinatum. Hic Ca-

Caroli vi-  
 toria. rolus expugnauit Sclauos, & repulit paganos, vicit Saxo-  
 nes, subegit Vngaros. Longitudo eius octo pedum, facies  
 eius palmum & dimidium habebat, in longitudine, barba  
 vnum palmum. Militem armatum super equum sedentem  
 a vertice simul cum equo scindebat. Militem armatum re-  
 stè stantem, super manum suam a terra vsq; ad caput le-  
 uabat sola manu. Leporem integrum, aut duas gallinase-  
 debat, vinum modicum & lymphatum bibebat. In pran-  
 dio tantum ter bibit, in cena raro. Corpore decorus, sed  
 dominicis & festiuis vtebatur regalibus vestimentis, or-  
 natus sedebat, gladium super genua per transuersum po-  
 nebat.

## DE CAROLI MAGNI FILIIS, ET LUDOVICO PRIMO.

Caro-

Carolus Imperator & semper Augustus, republica Ludouicu<sup>s</sup>  
 laudabiliter gubernata, tandem feliciter obiit Aquisgrani, Imp.  
 & ibidem sepultus est in Ecclesia gloriosæ virginis, quam  
 ipse miro opere condiderat. Obiit autem regni sui x l v i.  
 Aetatis verò lxxii. Reliquit duos filios Pipinum & Ludo-  
 uicum. Pipinus factus est rex Italiz, Ludouicus Aquitaniæ.  
 hic post mortem patris sui Caroli, imperium adeptus, re-  
 gnauit annis x x v. Iste conuocato concilio magno A-  
 quisgrani, multa de statu Ecclesiarum & religiosorum uti-  
 liter tractauit, ipse etiam principes Ecclesiasticos consti-  
 tuit. In isto concilio Regula Canonicorum de diuersis  
 patrum sententijs compilata fuit. Ludouicus hic funda-  
 uit Hildeshemium & Carbeiam, & reliquit tres filios, Lo-  
 tharium, Carolum, & Ludouicum.

## D C C C X X X V I .

Otharus archiepiscopus Moguntinus transtulit offa  
 sancte episcopi Erfurdiam.

## D E L O T H A R I O I M P E R A T O R E .

Lotharius Ludouici filius, imperat annis x v. cui Lothariu<sup>s</sup>  
 fratres eius Carolus & Ludouicus restiterunt, & graue Imp.  
 bellum eidem intulerunt. Tanta autem vtrinque facta  
 est strages, vt nulla ætas meminerit tantam aliquando  
 fuisse, in regno Franciæ. Tandem pacto inito Carolus re-  
 gnat in Francia, Ludouicus in Germania, Carolus in Italia  
 & parte Franciæ, quæ ab ipso Lotharingia dicta est. Quod  
 iste Ludouicus post patrem suum imperauit, non est intelli-  
 gendum de imperio, sed de Germaniæ regno. Lotharius tri-  
 bus filiis suis, partem quæ ei obtigerat partitur, Ludouico  
 Italiæ cū nomine imperij, Lothario qui Placentiæ obiit,  
 Lotharingiam, Carolo prouinciam, & ipse monachus  
 effici-

efficitur in Prumiense monasterio. Eo tempore rex Hunnorum , id est , Vngarorum , Stephanus nomine , Christianus effectus , baptizatus est , cum magnatibus & populo regni sui.

## D C C C X L I .

Gregorio papa defuncto Sergius ordinatur , iste vocatur Bocca de porco , sed factus papa dicitur Sergius , vnde ab ipso usq[ue] nunc semper mutatur nomen Papæ . Ratio huius est , quia dominus nomen Simoni mutauit , vocans eum Petrum , quando ipsum Ecclesiam præfecit .

## D E LVDOVICO SECUND O.

Ludouicus secundus filius Lotharij , imperat annis XXI . hic regnum Siciliæ à Saracenis purgauit .

Carolus frater Lotharij , qui litigauit anno uno & mensibus yndecim cum nepotibus , veneno interiit .

Ludouicus frater prædictorum Lotharij & Caroli , reliquit tres filios , Carolomanum , Ludouicum & Carolum .

## D E SECUND O CAROL O.

## D C C C LXXXVIII.

Carolus Ludouici filius , imperium adeptus , & à Ioanne Papa consecratus , regnauit annis XI . cum fratribus suis Carolomano & Ludouico . Ipse Normanos , qui Galliam inuaserant , deuicit , & Gotfridum regem eorum de sacro fonte leuavit , eiq[ue] filiam Lotharij , Gallam nomine , vxorem dedit . Iste Carolus deiectus est de regno , cuius frater Carolomanus de nobili foemina reliquit filium , sed non legitimum , nomine Arnolphum , cui patruus suis Ludouicus defuncto patre , dedit ducatum Carinthiæ , & castrum

Ducatus  
Carinthiæ .

strum Moseburg. Vnde cū iam nullus superesset de genere  
Carolorum, principes Teutoniæ hunc Arnolphum Impe-  
ratorem fecerunt.

## D E A R N O L P H O I M P E R A T O R E .

### D C C C L X X X V I I I .

Arnolphus Carolomani filius, de quo iam dictum est, imperiū adeptus, regnare hoc anno cœpit. Huius confesio de corpore Christi, in sententijs legitur. At Guido dux Spoletanus a suis fautoribus rex in Italia nominatur, cuius filius Lambertus Romam veniens, se Imperatorem iussit vocari. Tunc Arnolphus Normanos, qui Teutoniam invaserant, annihilauit, Italiamq; ingressus, Bergomum urbem cepit, & comitem Ambrosium in furca suspendit. Vnde tota Italia territa se ditioni eius subiecit. Interim Lambertus, qui se pro Imperatore geslerat, moritur, & Longobardi Ludouicum filium Bosonis ad Imperium invitavit. Eo tempore factum est prælium magnum inter Bavarios & Vngaros. Tum quoq; Vngari vastauerunt Saxoniā & Franciam. Dux quoq; Turingorum Burchardus, occisus est ab Vngaris.

Divisio im-  
periū.

Vngari in  
Saxoniam.

## D E T E R T I O L V D O V I C O .

### I M P E R A T O R E .

Arnolphus Imperator anno xii. regni sui moritur, cuius filius Gundeboldus, regnum Germaniæ conabatur inuadere, sed occisus est: & Ludouicus frater legitimus regnauit annis xii. His temporibus comes Albertus, nepos ducis Saxoniæ Othonis, comitem Conradum interfecit. Vnde rex Ludouicus eum in castro Babenberg ob- Episcopus  
sedidit. Cui Hatto archiepiscopus Moguntinus perualit, vt proditor. fe Im-

se Imperatori præsentaret, dans ei dexteram, quod eum  
 indemnem reduceret: sed cùm essent egressi, dixit comes,  
 Albertus <sup>nepos, Otho</sup> Bonum est redire & prandere. Cui Archiepiscopus annuit,  
 nis Magni Vnde cùm postea sine alia securitate, se regi obtulisset, sen-  
 D. Saxonie, tentiam capitalem accepit.  
 capite puni-  
 tur.

## D C C C C X V I I .

Ludouicus III. obiit, in isto Carolinorum reges &  
 Imperatores defecerunt.

D E P R I M O · C O N R A D O  
I M P E R A T O R E

Posthæc Teutonici Othonem de Brunswig, ducem Sa-  
 xoniæ, regem sibi poscunt: sed cùm esset senex, tenuit.  
 Consilio tamen eius electus est Conradus, filius comitis  
 Conradi, quem prædictus comes Albertus nepos ipsius  
 Othonis occiderat. Iste mortuus est anno regni sui sep-  
 timo, & sepultus in Fulda.

## D C C C C X X I I I .

Hatto Moguntinus deuoratus est a muribus, nec se in  
 castris, nec insulis potuit ab ijs defensare.

## D E R E G E H E N R I C O A V C V P E

## D C C C C X X I I I I .

<sup>Imperium ad Germanos.</sup> Henricus filius Othonis ducis Saxoniæ, regnum adep-  
 tus, regnauit annis x v i i . Iste dicebatur Auceps, qua-  
 dum caperet auiculas, renitens, electus est. Ipse lanceam  
 sancti Mauricij a duce Burgundiæ accepit, & a Papa inui-  
 tatus,

tatus, dum Romam iret consecrari, obiit, & sic imperium non obtinuit. Id sancto Ulrico, in visione gladij sine capitello, ostensum fuit.

## D E PRIMO OTHONE IMPERATORE.

D C C C C X L .

Otho filius Henrici regis Romanorum, Imperium adeptus, regnauit annis x x x v i i . Iste dictus fuit Otho Magnus, fundauit archiepiscopatum Magdeburgensem, vxor eius fuit, regina Langobardica Adelheidis. Hæc circa Argentinam in littore Rheni fluminis, in monasterio Olfa, cum magna veneratione ab omni populo pro sancta habetur. Iste Otho Aquisgrani a Moguntino archiepiscopo Hildeberto coronatur. Pugnauit cum Vngaris, qui Teutoniam iuaserant, & magna cæde prostravit eos, in campo, qui dicitur Lechfeld. Campus  
Luci prope  
Augustam. Ipse quoq; contra Beringi tyrannidem, qui x x x annis regnum sibi Romanum extraordinariè usurpauerat, a Papa Iohanne iam supra dicto inuitatus, per vallem Tridentinam, Romam venit, & ab eodem Papa Iohanne Imperator consecratur. Tandem, postquam Remp. bene rexerat, mortuus est in Turingia, anno regni sui x x x v i i . deductus in Magdeburg, ciuitatem metropolitanam Saxonie, ibidem honorifice sepultus est, tempore Benedicti Quinti.

## D E SECUND O IMPERA- TORE OTHONE.

D C C C L X X V I I .

Otho ii. Othonis Magni filius, imperium adeptus, regnauit annis ix. Iste nominabatur, Mors pallida Sa- Prælum  
cum Saracenis.  
race-

racenorum. Huius vxor fuit Theophania Imperatrix, quæ venit de Græcia. Iste Imperator Otho, magnum conflictum cum Saracenis in Calabria habuit, & ceciderunt plurimi de exercitu Imperatoris, sed & Imperator vix evanit. Hic, dum Italici pacem sæpe violarent, Romam venit, & ante gradus Ecclesiæ S. Petri omnibus proceribus & magnatibus conuiuum magnum fecit: quibus latenter epulantibus, omnes vndiq; armatis cinxit, & de violata pace mouens querimoniam, reos in scriptis iubet recitari: quos statim ibidem decollari faciens, alios gratanter ad epulandum inuitauit. Hic defunctus Romæ, sepultus est honorificè apud Ecclesiam S. Petri, tempore Papæ Benedicti septimi.

Ea tumba  
nunc proie-  
cta iacet.

### DE OTHONE TERTIO I M- PERATORE.

D C C C L X X X V I I .

Otho III. Othonis secundi filius, imperium adeptus regnauit annis x i l. Iste cognominabatur, Mirabilia mundi, vocabatur etiam Otho Rufus. Hic cùm esset apud Mutinam ciuitatem cum vxore sua, ipsa imperatrix cuidam comiti se prostituere voluit: sed cùm ille consentire nollet, illa indignata, prædictum comitem apud Imperatorem adeò infamauit, vt eum Imperator sine audiencia decollari præciperet. Qui antequam decollaretur, rogauit vxorem suam, vt iudicio candardis ferri post mortem, eum cōprobaret innocuum. Adeſt dies, in qua Cæſar ſe pupillis & viduis exhibebat iudicaturus. Affuit & ſcēmina, comitis ſecū caput habens, quæritq; qua morte fit dignus, qui iniuste aliquem occidisset. Quo respondentē, capitis priuatione. Illa ait, Tu es ille vir, qui maritum meum ad ſugitionem vxoris tuæ iniuste occidi mandasti. Quod dum illa per

Iudicium  
pupillorum &  
riduarum vi-  
ratū magnis  
principib.

Othonis,  
Cæs. aqui-  
tas.

illa per candens ferrū probasset, Cæsar in manus fœminæ se tradidit puniendum. Interuentu tamen Pontificis & Procerum, decem dierum inducias, deinde octo, deinde septem, quartò sex à vidua accepit. Tunc Imperator causa examinata & cognita, vxorem suam viuam cremari fecit, & dans viduæ quatuor castra, vitam redemit. Castra hæc sunt in episcopatu Lunæ in Etruria, & vocantur ab inducijs dierum, decimū, octauum, septimum, sextum.

Hic Imperator Gregorium v. in sedem Apostolicam constituit, qui prius Bruno vocabatur, è domo natus Saxonica, qui & Imperatorem consecravit. nā Iohannes Placentinus Petri sedem inuaserat, & se gessit pro Papa, con filio Crescentij. Quapropter Crescentinus cum duodecim suorum decollatus est, & Iohannes pseudopapa exæctus, de monte Tarpeto, in quo Capitolum, præcipitatur.

### A N N O D O M I N I M.

Imperator Otho i i i. cognomento Rufus, ossa Caroli Magni Aquisgrani à pluribus eousq; ignorata, inuenit.

### M I.

Imperator idem Nativitatē Domini Romæ celebravit, & sequenti anno defunctus est, & Aquisgrani sepultus.

### D E S A N C T O H E N R I C O I M- P E R A T O R E.

### M I I.

Dux Bauariæ Henricus imperium adeptus, à Cæsare Augusto L X X X V I I I. Imperator, regnauit x x I I I I. Huic despontata fuit Cunegundis virgo nobilis, cum qua cælibem vitam dicens, cum virginè virgo remansit, totum se diuino

se diuino cultui tradidit, veteres Ecclesias reparans, nouas ædificans & ditans. Ipse fundauit Babinbergensem Ecclesiam, quam & cathedralem instituit, & ciuitatem eandem Ecclesijs, clero, & populo decorauit. Ipse etiam restaurauit Ecclesias, Magdeburgensem, Merseburgensem, Misnensem, Hildesheimensem, Argentinensem, quæ à barbaris vastatae fuerant, & in Hildesheimense, vbi à puericia enutritus, & literis fuit edoctus, posuit episcopum sanctum Gothardum, qui in monasterio Herueldensi abbas extiterat. Summam enim diligentiam Cæsar iste adhibens in amplificando cultu Dei, sedes episcopales & Ecclesias & vniuersum regnum ditauit. Idem Augustus tradidit fororem suam regi Vngariæ Stephano, qui cum toto regno suo fidem Christi recepit, & dilectione Dei feruidus, & sanctis operibus & virtutibus clarus, pro regno transitorio elegit æternum. Idem Imperator Henricus in Quedlinburg curiam suam celebrauit. Ibidem principibus conuocatis, ipsicq; singulis & vniuersis id ipsum assentientibus, Poloniā & Bohemiam, cæterasq; Sclauorum adiacentes regiones, quia nondum fidem Christi receperant, debellare dispositus.

*Henrici Ze  
lus pro reli  
gione.*

Victor sine effusione sanguinis, gentes illas sibi subegit, gratias agens Deo cum suis, Apuliam à Græcis diu possessam recuperat Romano imperio, Poloniā ac Burgundiam sibi subigit. Rediens de Apulia infirmitate calculi cœpit laborare, & cum plurimum torqueretur, mira patientia sustinuit, Deocq; ab isto morbo liberatus, gratias egit. Anno ætatis sua LII. imperij vero XXI 111, ipse sanctus Henricus Romanorum Imperator, & semper Augustus regnum tempore regi æterno resignans, cœlestis regnum feliciter introiuit. Deniq; multis splendens virtutibus & miraculis, regali honore sepultus est Babinberga in Ecclesia cathedrali. Post discessum sancti Henrici glorioſi Imperatoris, felix sponsa ipsius Cunegundis Imperatrix, perpetua virginitatis obserua-

seruatrix, orationibus, ieiunijs, vigilijs, eleemosynis & alijs sanctis operibus humiliter insistens, multis virtutibus claruit. Tandem feliciter ex hoc mundo transiit, & honorificè apud sponsum suum in Babinberga est sepulta.

### D E A R C H I E P I S C O P O V V I L - L E G I S I O.

Tempore sancti Henrici Imperatoris, Vuillegisius archiepiscopus Moguntinus vigebat. Iste quia humilem probrem habuit, & patrem qui currus & bigas facere solebat, in thalamo ornatis & grandibus literis hæc scripta habebat. *Vuillegis, Vuillegis, recole vnde veneris.* Hæc & in Teutonica lingua scripta erant. Appendebat etiam rotas, & huiusmodi instrumenta in pariete circumquaç, Humilitatis exemplū.  
in quibus suam prosapiam recognoscebat. Adhuc usq  
habentur duæ rotæ quasi aratri in vexillo, & una in clypeo Ecclesiæ Moguntinæ. Hic archiepiscopus in Moguntia maiorem Ecclesiam, & sancti Albani Ecclesiam construxit.

### D E E P I S C O P O H I L D E S H E - M E N S E G O T H A R D O.

Gothardus in Althachense monasterio nutritus, ibidem abbas factus ab Henrico Imperatore per Vuillegisi um Herueldense regimen suscepit, & secundum sui nominis interpretationem lascivos fratres durius increpauit; nam Gothard, Dei durus, sonat Germanicè, Garense quoque & Cremense monasterium in cura habuit. Tandem ab Imperatore ad Hildeshemensem episcopatum prouinciacë Saxoniæ vocatur.

### D E S E C V N D O C O N R A D O I M P E R A T O R E.

M X X V.

V . 2

Con-

Conradus dux Francorum regnum adeptus, regnauit annis xv. Hic descenderat de stirpe Clodouei, & duxit Giselam de Vuebinlingen, neptem sancti Henrici Imperatoris, vxoremq; Arnolphi ducis Sueorum, quæ peperit Ernestū & Hermanum, & hinc peperit Henricum, qui Aquilagranī vñctus est in regem per Peregrinum Colonensem archiepiscopū. Tempore huius Conradi visa est in celo trabs miræ magnitudinis super solem iam ad occasum vergente, & ad terram cadere. Hic quosdam episcopos de Italia in vincula coniecit, & quia Mediolanensis archiepiscopus de vinculis fugit, suburbia Mediolani incendit. Die Pentecostes, cùm idem Imperator in parua Ecclesia, secus urbem ad missam coronaretur, tā grandia tonitrua & fulgura facta sunt, vt aliqui mente excederent, aliqui spiritum exhalarent. Bruno verò episcopus, qui missam celebrabat, & secretarius Imperatoris, cum alijs dixerunt, se inter missarum solennia vidisse sanctum Ambrosium, Imperatori comminantem, nisi ab urbe Mediolano discederet.

### DE COMITE LEOPOLD O.

Iste Imperator Conradus i i. nulli violatori pacis percit: quamobrem comes Leopoldus cum vxore solus, in filia in quodam tugurio latitabat. In hac filia dum Cæsar venaretur, dispersis suis post feras, nocte cogente in idē tugurium se recipit, cui hospita benignè ministravit. Ipsa autem cùm esset grauida, eadem nocte filium peperit, & vox ad Cæsarem tertio facta est, Hic puer gener tuus erit. Mane igitur dū suos reperit, præcipit duob. armigeris, vt puerum de manib. matris violenter reciperent, & per mediū scindentes, cor eius sibi afferrent. At illi iussa compleentes, puerum de gremio matris rapiunt. Quem videntes formæ elegantiissimæ, misericordia moti, super quandā arborem, ne à feris deuoraretur, depositerunt, & scindentes leporé, cor eius Cæsa-

Cæsari obtulerunt. Eodem die dum quidam dux inde transiret, & puerum vagientem audiret, eum ad se adduci fecit, & dum filium non haberet, ipsum vxori attulit, & à se & vxore genitum esse finxit, & Henricum vocauit. Cum creuisset, erat corpore pulcherrimus, ore facundus, & omnibus gratiosus. Quodam tempore Cæsar cum duce conuinatur, vidensq; Henricum adolescentem decorum, & prudentem, curia sua ipsum assumisit, & videns eum ab omnibus commendari, cœpit dubitare, ne post se regnaret, & ne iste sit, quem occidi mandasset. Volens igitur esse securus, literas manibus suis scriptas, per eum vxori suæ dirigit, in hunc modum. In quantum est charatibi vita tua, mox vt literas receperis, puerum hunc necabis. Dum igitur pergens in quadam Ecclesia hospitatus fuisset, & fessus super bancum quiesceret, & bursa in qua literæ erant, dependéret: sacerdos curiositate ductus, bursam aperuit, & literas Imperatoris sigillo videns munitas, ipsas saluo sigillo aperuit, & legens, scelus abhorruit, & radens subtiliter, quod dicebatur, Istum necabis: scripsit, isti filiam dabis. Regina lectis literis Principes conuocauit, & tradens ei filiam suam, nuptias celebrauit. Quo auditio, Cæsar ira fremuit, vidensq; ordinationi Dei non resistendum, à duce, à duobus armigeris, à sacerdote, & à matre pueri, veritate comperta, latanter eum generum suum & hæredem constituit.

Mira conseruatio Viri  
Principis.

Dei ordinatio.

## DE DISCESSV GRAECAE A ROMANA ECCLESIA.

M X X V I I L

Tempore Imperatoris Conradi II. Ecclesia orientalis recepsit ab obœdientia sedis Apostolice. Imperator iste Conrados II, cognomine Salicus, obiit & sepultus est in Spira.

V 3

D E

## DE TERTIO HENRICO IMPERATORE.

M X L.

Henricus III. Imperatoris Conradi II. filius, imperium adeptus, regnauit annis XVII. Hic à suis nuptijs omnes histriones expulit, & quæ eis dari solent, pauperibus distribuit, Petrum regem Vngariae è regno expulsum restituìt. Huius tempore tantum schisma in Ecclesia fuit, vt tres summos Pontifices electi essent, quos tandem Gratianus presbyter, pecunia magna eis data, induxit, vt cederent, & sic ipse electus est. Imperator pro tanto schismate sedando, Romanam properans apud Sutrium urbem, Gratiatum obuiam habuit, qui ei coronam auream obtulit, vt eum propitium haberet. Cæsar primò cuncta dissimilans, conuocata synodo Gratianum, qui & Gregorius dictus est, de Simonia conuicit, & eo amoto Suidgerum Babenbergensem episcopum substituit, qui Clemens II. dictus est, à Sancto Petro CLIX. Papa ordinatus, à quo ipse Imperator & coniux eius Agnes imperatrix Romæ Imperiali confecrationem suscepserunt. Ipse Clemens Papa sepultus fuit in Babenberg. Hoc tempore erant quatuor Papæ successiue & immeditatè de Teutonia sumpti.

## DE LEONE PAPA, NONO.

M X L I X.

Scholæ iuxta Ecclesiæ. Hic Leo Papa dedit pallium Babenbergensi episcopo, ipse etiam constituit, vt fiant claustra iuxta Ecclesiæ ad disciplinam seruandam. Idem constituit, ne sacerdotes aut monachi canes aut aues ad yenandum sequerentur, ne turpia lucra sectarentur. Antiochia & Ierosolyma à Sa-

race-

E P I T O M . S I F F R . 303  
racenis capta, hoc tempore à Christianis recuperata sunt.

D E C O N F L I C T V R E G I S H E N -  
R I C I I I I .

M L V I .

Rex Henricus IIII. filius Henrici II. Imperatoris,  
conflixit in Turingia cum Saxonibus inter Hoënburg &  
Neilstete, & vieti sunt Saxones : quos cùm secundò impe-  
teret, dederunt se gratiæ. Rupto autem fœdere abduxit Prælium cù  
Saxonibus.  
captiuos episcopos Magdeburgensem & Halberstadensem, & Othonem quondam Bauariæ ducem, Magnum du-  
cem Saxoniarum, & nouem Comites. Eodem anno Imperator  
Henricus pater istius regis Henrici defunctus est Leodij, &  
sepultus Spiræ, cum patre suo Conrado Imperatore. Cuius  
exequijs interfuit Papa victor, & patriarcha Aquileiensis,  
ac plurimi episcopi, & nobiles.

D E I N C E N D I O E R F O R D I A E .

M L X X I X .

Ciuitas Erfordia incensa est à militibus Imperatoris  
Henrici, & monasteria S. Petri & S. Seueri cum multis, qui  
eō configuerant, conflagraruunt.

D E F U N D A T I O N E M O N A S T E R I I  
P E G A V I E N S I S .

M X C I .

Fundatio Ecclesiæ Pegauiensis inchoata est à Viperto  
Marchione, præsentibus dominis, Hertwigo Mag-  
debur-

deburgense, Vualramo Citiente, & Albino Mersburgen-  
se episcopis.

M X C III.

Eclipsis solis facta est tertia diei hora, & draco mag-  
nus visus est.

DE QVINTO HENRICO IM-  
PERATORE.

Henricus Quintus, Quarti Henrici filius, imperium  
adeptus, regnauit annis xiiii. Iste cum x v. milibus  
militum, venit Romam, & in gradibus S. Petri, à Papa  
Paschale, & à clero, & populo processionabiliter suscipi-  
tur. Ipse multa magnifica fecit, Spiræ obiit; & ibidem  
quiescit cum patribus suis. Super quatuor tumbras pre-  
dictorum quatuor Imperatorum, videlicet Couradi, Hen-  
rici xii. Henrici xxi. Henrici v, unus versus diuisim  
scriptus est, qui complectitur omnes tumbras in hunc mo-  
dum, *Filius hic, Pater hic, annus hic, proanus iacet isthic.*  
Item hoc anno dedicatum est monasterium Pegauense,  
vii. Cal. Aug.

M C X.

Monasterium Reinsdorf, à Viperto Marchione consi-  
lio Othonis episcopi Babenbergensis fundatur.

DE CONFLICTV IN VVELFESHOLTZ.

M C X V.

Saxonum  
victoria. Imperator Henricus v. conflixit cum Saxonibus in  
Vuelfesholtz, vbi multi ceciderunt, & Imperator vicit  
est, &

E P I T O M . S I F F R .  
est, & post hoc obiit, & sepultus est in Spira.

305

### M C X V I .

Fundatum est coenobium Hallense, videlicet noui operis extra muros situm, à venerabili archiepiscopo Magdeburgense Adelgoto.

### M C X X I I I .

Vipertus fundator monasterij Pegauiensis monachus factus, in eodem quieuit in pace.

### D E L O T H A R I O I M P E R A T O R E .

### M C X X V .

Lotharius dux Saxonum, imperium adeptus, regnauit annis x i i i , hic fundauit monasterium Luther, prope Brunswigam, & ibidem sepultus est, vir omni laude dignissimus.

### D E T E R T I O C O N R A D O I M - P E R A T O R E .

### M C X X X V I I I .

Conradus i i i , nepos Henrici Cæsar is, frater Friderici ducis Sueviae, electus est in regem Romanorum, adhuc viuente Lothario, superius memorato. Tandem pacce inter eos facta Lotharius apud Veronam moritur, & apud Brunswigam in monasterio Luther sepelitur. Conradus Aquisgrani à Theodevino Portuense episcopo, apostolice sedis legato, coronatus, regnauit annis x v. Ipse mortuus est & sepultus in Spira.

Mors Lo  
tharii Imp.

Hugo de sancto Victore vir doctissimus & denotus  
moritur.

Gramma-  
tice studiū.

Eugenius 111. monachus & discipulus  
factus Papa constituit, ut studium in Ecclesijs habeatur in  
Grammatica, & alijs artibus liberalibus. Ipse etiam cano-  
nizauit Imperatorem Henricum Babenberḡ, rogatu  
Conradi Imperatoris, & prælatorum.

M C X X X I X.

Obiit sanctus Otho, Babenbergensis episcopus.

D E P R I N C I P I B V S T V R I N G I A E.

M C X L.

Landgrauius Turingorum Ludouicus obiit, cuius filius Ludouicus ab Imperatore Conrado 111. principatum suscepit. Eodem anno fundata est basilica in valle S. Georgij. Nota quod primus Ludouicus, de quo Landgrauj Turingia nati sunt, vocabatur Ludouicus Dedus Barbatus; & ipse descenderat de genealogia Caroli Magni Imperatoris, & cum esset unus de ducibus Sueviæ, prælijs annihilatus, inde cessit. Cum autem dudum duces Turingorum defecissent, idem Ludouicus Barbatus, suscepit principatum dictæ terræ, quæ tunc per plures distracta & usurpata, cessauit dici ducatus, sed usq; hodie princeps præfatae terræ, non dux, sed Landgrauj, quod latine sonat, comes prouincialis, appellatur. Dictus Ludouicus primùm edificauit castrum Vuartbergum, in vertice montis excelsi, super ciuitatem Isenacum, & ipse & filij eius, & filij filiorum, super sepe dictam terram Turingiam, à tempore sancti Henrici Imperatoris, usq; ad tempora Imperatoris Friderici 1. per sex generationes principantur.

Vuartber-  
gum arx.

D E

## DE FRIDERICO IMPERATORE.

M C L I I I I .

Fridericus dux Suevorum , frater Conradi Imperatoris, imperium adeptus , regnauit annos xxxix.

DE PETRO LANGOBARDO,  
ET GRATIANO.

Petrus Langobardus Magister floruit, qui quatuor libros sententiarum , & glossas Psalterij , & Epistolarum Pauli utiliter compilauit , & Magister Gratianus , Decretum. Beatus Bernhardus migravit ad Christum.

Tres luna in celo visae sunt , & in media signum crucis, nec multò post visi tres soles. Contra Alexandrum Papam, qui canonice electus fuit , duo alij elegantur, & faurib. Imperatoris Friderici fulciuntur. Duravit hoc schisma aliquot annis. Intra quod tempus Teutonici, qui apud Tusculum pro Imperatore morabantur , Romæ ab hora nona usq; ad vesperam tot millia hominum occiderunt, quot nunquam antea è Romanis occisi sunt.

## DE MEDIO LAN O CAPTO.

M C L X I I .

Imperator Fridericus primus , Mediolanum cepit & expugnauit. Tunc Reinaldus archiepiscopus Coloniensis , qui cum eo erat , impetravit corpora trium Magoruni , qui Christo infanti munera obtulerunt, quæ Mediolani extra muros ante portam Romanam , in Ecclesia sancti Eustorgij seruabantur pariter , in uno sarcophago marimoreo. Quib. impetratis Coloniā gaudens secum tulit,

## DE NOBILIBVS SVB MERSIS.

MCLXXXIIII.

Rex Henricus filius Imperatoris Friderici, primum venit Erfordiam volens concordare Conradum archiepiscopum Moguntinum, & Landgrauium Turingiae Ludouicum discordantes, cumque in cænaculo residerent cum nobilibus

Casus difficilis, quo viri generosi terra, repente paumento disrupto, multi in latrinam subitus existentem ceciderunt, videlicet comes Fridericus de Abinberg, comes Henricus de Suartzburg, comes Hassiae Gotmarus, comes Fridericus de Kirchberg, Burchardus comes de Vuartberg. factum hoc vxi. Cal. Aug.

## DE OBITU FRIDERICI IMPERATORIS.

MCXC.

Imperator Fridericus I. vir catholicus peregre ultra mare profectus, cum multa turba cruce signatorum militantium, per desertum Romanum, postquam gloriose triumphauit de inimicis Christi, in modico flumine, in quo tribalneandi gratia post meridiem descenderat, apud Armeniam in die Apostoli Barnabæ, multis praesentibus casu submersus est. Huic succedit filius eius rex Henricus, eodem anno, & regnauit annis vxi.

## DE TEMPESTATE MAGNA.

Eo tempore tantæ pluviæ cum tonitruis & fulminibus Tempestas. & tempestatisbus factæ sunt, quanta nulla memorat hominum

num antiquitas. Lapidē ad quantitatē ouorum quadranguli, cum pluuiā mixti de cœlo cadentes, arboreis, & vineas, & segetes destruxerunt, & multos homines occiderunt. Corui quoque & plures aues per aërem in hac tempestate volantes, vifæ sunt carbones viuos in rostris portare, & domos incendere. Henricus VI. contra Romanam Ecclesiam semper Tyrannidem exercuit. Ipse veneno interit, sepultus in Spira.

Prodigium.

## M C X C I.

Eclipsis solis facta est in vigilia Iohannis Baptiste.

## D E P H I L I P P O E T O T H O N E.

## M C X C V I I I .

Philippus dux Sueuorum, frater Imperatoris Henrici V. in regem Romanorum electus est, cui scilicet Papa Innocentius III. opposuit, quia frater suus Imperator Henricus, contrarius fuerat Ecclesiae Romanæ, ordinavitque Papa, ut Otho filius ducis Saxoniæ, Aquisgrani coronaretur.

## S I F F R I -

SIFFRIDI  
PRESBYTERI MIS-  
NENSIS EPITOMES  
LIBER II.

M C C .

Schisma in Ecclesia Moguntina. **C**ONRADVS archiepiscopus Moguntinus obijt, pro quo eliguntur duo Lutpoldus Vuormaciensis episcopus, & Siffridus Bingensis praepositus.

M C C I .

Sancta Cunegundis imperatrix, & virgo canonizata est ab isto Papa Innocentio III. Eodem anno vrbs Constantinopolis capta est, & spoliata à Christianis pluribus rebus.

M C C I I .

Rex Philippus à Papa Innocentio excommunicatur, & Rex Otho ab eodem Papa Romæ in Imperatorem vngitur, & Siffridus archiepiscopus Moguntinus confirmatur.

M C C I I I .

Dux Bohemiae Turingiam vastauit, & iterum veniens in Turingiam, voluit cum rege Philippo configere, sed territus reuertitur.

M C C I I I I .

Veisen- ha obsidetur. **R**ex Philippus in Turingia Veisenham obsedit, & dum Bohemiae in regem primum coronauit in illo regno. Rex

M C C V I I I .

Rex Philippus Babenbergæ occisus est, à Palatino comite de Vuitligsbach, & in Spira sepultus.

D E S E C V N D O F R I D E R I C O  
I M P E R A T O R E .

M C C I X .

Papa Innocentius III. Fridericum II. filium Imperatoris Henrici V. ad sceptrum regni sublimauit, adhuc viuente Othono Imperatore, quem pridem idem Papa excommunicauerat, qui excommunicatus fuit, usque ad obitum suum: sed in articulo mortis à prælatis absolutus est. Fridericus II. imperium adeptus, regnauit annis XX. Hic erat ingeniosus, studiosus, & literarum scientia magnus, leges optimas, pro libertate Ecclesiæ, & contra hereticos edidit. Iste supra omnes diuitijs & gloria abundauit. Tandem filios suos reges constituit super diuersa regna, videlicet Conradum, Meinfridum, & alios. In diebus ipsius tam Latinorum, quam Teutonicorum, & aliarum nationum prouinciarum, multa pace & tranquillitate, & abundantia gaudebant.

## D E L A N D G R A V I O H E R M A N O .

Eo tempore Landgravius Turingia Hermanus, filius Landgravij Ludouici, mortuus est, & sepultus in Isenaco, in Ecclesia sanctæ Catharinae, monialium ordinis Cisterciensis, relinquens quatuor filios, Ludouicum, Henricum cognomine Rasponem, Conradum, Hermannum. Ludouicus duxit sanctam Elizabetham, filiam regis Vngariae in vxorem. Henricus Raspo postmodo unctus est in re-

in regem Romanorum. Conradus verò ordinem fratrum domus Teutonicæ ingressus, factus est magister ordinis eiusdem generalis. Hermanus mortuus est, cùm esset annorum quindecim, & sepultus est apud patrem suum Isenaci.

M C C X I I.

In Accarone cœpit ordo fratrum domus Teutonicæ. Eodem anno Imperator Otho Vuissensham obsecit.

DE S A N C T A E L I Z A B E T H A.

Diue Eli- Regnante Imperatore Friderico II. claruit beata Eli-  
zabetha pro zabetha, regis Vngariae inclita filia, soror Beli, ex matre  
genies. filia ducis Meraniae. Hanc pater suus in annis infantie,  
existentem trium annorum, despousauit illustri principi  
Ludouico, qui post patrem suum Hermanum, terræ Tu-  
ringorum tenuit principatum, cuius profapia de nobilissi-  
ma stirpe Caroli Magni Imperatoris originem traxit. Cum  
autem beata Elizabetha prædicto suo coniugi Landgra-  
uio Ludouico, vnum filium Hermanum nomine, & duas  
filias peperisset, contigit ut idem princeps Ludouicus vna  
cùm Imperatore Friderico, & multa militia cruce signa-  
torum ad terram sanctam properaret, vt transfretantes,  
eam terram, quā saluator noster sui sanguinis effusione fa-  
crauerat, ipsi de Saracenorum manibus liberarent. Cum  
fines Appuliae attigissent, & in ciuitate, quæ Hydruntum  
dicitur, morarentur, dictus Landgravius Ludouicus Deo  
dilectus & hominibus, carnis debita soluens, feliciter in  
Domino obdormiuit. Comites & milites ossa Domini sui  
vtiq; militis Christi, inde tollentes, non sine magno plan-  
etu & lachrimis, ad terram Turingiam reuexerunt, & in  
monasterio, quod dicitur Reinhardbornum, sepelierunt, & in  
anno M C C X V I I. Beata Elizabeta orbata sponso suo fi-  
dissimo

dissimo, omnia quæ de dotalicijs habere poterat, quæc de regia aula patris, in auro & argento & ornamentis secum attulerat, in usus pauperū conuertebat, in ciuitate Hassiæ, quæ Martburgum dicitur, hospitalis iaciens fundamenta. Huius famula fuit Isentrudis. Elizabethæ virtutibus & miraculis innumeris, Coram Papa Gregorio x. & senatu Cardinalium examinatis & approbatis, ipse summus Pontifex consensu omnium & applausu, hanc gloriosam Elizabetham sanctorum catalogo annotauit, anno m c c x x x v , in vrbe Perusia. Sequentे anno dum sancta ossa ipsius transferri deberent, multitudo cleri & populi innumerabilis, ad tumbam eius ad ciuitatem Martburgum confluxit, sed & Imperator Fridericus, cum episcopis & prælatis atq; principibus ibidem affuit; & coronam auream obtulit, multaq; priuilegia & donaria largiter tribuit. Translatione ergo solenniter peracta, singuli ad propria cum gudio redierunt.

## M C C X V I I .

Imperator Otho obiit Brunsuigæ.

## M C C X X I .

Beatus Dominicus migrauit ad Christum, & sepultus est in ciuitate Bononia. Eodem anno Iudei in Erfordia occisi sunt.

## M C C X X I I .

Engelbertus Coloniensis archiepiscopus occisus à co-  
mite Friderico de Isenberg , qui & ipse in ultionem effusi tifitatis.  
Sanguinis crurifragio interiit. Eodem anno Damiata à  
Saracenis resumpta est.

Tartari magnam multitudinem Ruthenorum prostrauerunt.

## M C C X X V I I.

Imperator Fridericus cum multa turba cruce signatorum ad sanctam terram properauit, sed illud passagium impeditum fuit.

## M C C X X V I I I.

Ierusalem Christianis restituitur. Gens Scotorum tunc temporis ferè duobus annis discurrendo, terras pertransiuit.

## M C C X X X.

Archiepiscopus Moguntinus Siffridus II. obiit in Efordia, cui Siffridus III. successit.

## DE FILIIS BEATAE ELIZABETHAE.

## M C C X X X I.

Beata Elizabetha transiit, relinquens unum filium Hermanum, & duas filias, quarum unam duxit dux Brabantiae, altera vero Gerdridis nomine, monasterium ingressa, cœlibem vitam duxit. Hermanus Landgravius filius Landgravii Ludouici, & sanctæ Elizabethæ ducens uxorem, post celebratas nuptias, veneno peremptus est, à quadam malifica, nomine Berchta de Seberg, quæ fuit vxor cuiusdam nobilis de curia dicti principis. Ille ergo Landgravius Hermanus mortuus est, non relinquens heredem. Eodem tempore dux Bauariae Ludouicus occisus est à griffatoriis, ut dicebatur, immissis ab imperatore Friderico.

Dux Bauariae  
occisus.

DE

E P I T O M . S I F F R .      315  
DE HENRICO MARCHIONE  
MISNENSE.

Hoc tempore Marchio Misnensis Henricus, cognatus Landgrauij Turingorum Ludouici, & statrum suoru, cum haberet duos filios Albertum & Ditericum, quos genuerat ei nobilis & inclita princeps Constantia, filia ducis Austriae, cum magna pompa & fastu venit ad curiam Friderici Imperatoris, petens filiam ipsius Cæsarlis, Margaretham, dari suo filio vxorem. Iste princeps Marchio Henricus diuitijs & gloria omnes principes Germanicos antebat, eratq; largus valde & munificus, multa militum famulorumq; caterua munitus, semper hilaris, semper viuens in Amplitudo Marchionis Misnensis.

magnis delitijs & honore. Hic non solum Baronibus, & militibus, & capitaneis, & famulis suis, imo etiam alijs principibus & nobilibus victum, & preciosum vestitum, abundanter & largiter tribuebat. In tanta gloria & prodigalitate, in curia Cæsarlis apparuit, ut non solum principes & nobiles, sed & ipse Imperator & Augustus in stuporem verteretur. Tandem adepta filia Imperatoris, tradidit eam Alberto filio suo in vxorem, quem præcedente tempore Landgrauium constituit Turingoru. Hæc genuit dicto Alberto tres filios, Henricum, Fridericu, Ditericum.

M C C X X X I I .

In Teutonia multi hæretici tonsi & cremati sunt, à magistro Conrado de Martburg, ex commissione Domini Papæ Gregorij. Hæretici.

M C C X X X I I I .

Idem Magister Conradus de Martburg, prædicator verbi Dei, confessor beatæ Elizabethæ, occisus est & sepultus

316 LIBER SECUNDVS  
pultus in Martburg in Ecclesia sanctæ Elizabethæ.

M C C X X X V I.

Præsente Imperatore Friderico, & populi innumera-  
bili multitudine beata Elizabetha translata est.

M C C X X X V I I.

Tartari in Vngaria & Polonia multa millia Christiano-  
rum occiderunt. Contra ipsos Gregorius Papa fecit cru-  
cem prædicari. Similiter contra Steringos, de quibus  
quinquaginta millia hominum à cruce signatis occisi sunt. Eo-  
dem anno Landgrauius Conradus frater Ludouici, Frits-  
larenibus humiliter satisfecit, & intrans ordinem fratrum  
domus Teutonicae, vitam in bonis operib. consummavit.  
Et hic sepultus est apud Martburg in Ecclesia beatæ Eli-  
zabethæ, ubi domus Teutonicae fratres, magnum habent  
conuentum militum, & clericorum, & aliorum fratrum  
ordinis, ibique pauperibus & aduenis caritatue necessaria  
victus ministrantur.

M C C X L V I.

Turingiae  
Landgrau-  
us fit Imp.

Landgrauius Turingiae Henricus, cognomine Raspō,  
in regem Romanorum electus est, annuente Papa Inno-  
centio, qui eidem Henrico infinitam pecuniam misit, ut  
Imperatori Friderico præualere posset. Eodem anno dux  
Austriæ, cum uno die bis triumphasset, in ipso conflictu  
proprijs hominibus suis occisus est.

D E C O N F L I C T V R E G V M.

M C C X L V I I.

Rex

Rex Romanorum Henricus, Conradow filium Imperatoris Friderici, apud Francofordiam, in die sancti regis Osualdi, prælio vicit. Eodem anno idem Henricus VII. rex mortuus est, & sepultus apud patrem suum Landgrauium Hermanum in Isenaco, in Ecclesia sanctimonialium ordinis Cisterciensis. Et in isto defecerunt isti nobilis principes Turingiæ, qui de prosapia Caroli Magni Imperatoris originem traxerunt. Tunc Marchio Misnensis ad Marchionem Turingiam & Saxoniam Palatinatum sibi usurpat. Quamobrem graue bellum inter ipsum, & ducissam Brabantiam postea est exortum.

## D E R E G E V I L H E L M O.

M C C X L V I I I .

comes Hollandiæ Vilhelmus, in regem Romanorum electus est, & ciuitatem Aquisgrani expugnauit, & ibidem à duobus Cardinalibus coronatus, regalem accipit benedictionem. Eodem anno obiit dux Brabantia.

## D E R E G E F R A N C I A E.

M C C X L I X .

Rex Franciæ Ludouicus, Damiatam expugnauit, & in possessione pacifica habuit. Postea in breui à Soldano captus est, & centum milia marcarum dedit, & Damiatam restituit. Eodem anno obiit archiepiscopus Moguntinus Siffridus, cui successit Christianus.

M C C L .

Rex Daciæ procurante fratre suo Abel, per traditionem

Cedes re- & fraudem miserabiliter est occisus.  
gis.

M C C L I .

Hugo Cardinalis in Teutoniam legatus missus, Vilhel-  
mum regem confirmauit, Christianum archiepiscopum  
Moguntinum depositus, Gerhardum eidem subrogauit.

D E M O R T E F R I D E R I C I I M-  
P R A T O R I S .

M C C L I I .

Imperator Fridericus 11. ad extrema vitæ deueniens,  
perceptis Ecclesiasticis sacramentis mortuus est, & sepul-  
tus apud Fogiam.

M C C L I I I .

Rex Vilhelmus contra comitissam Flandriæ pugnauit,  
& victoriæ habuit. Eodem anno obijt rex Bohemiarum.

M C C L I I I I .

Ezelinus  
tyrannus. Alexander 1111. Ezelinum tortorem Christianorum,  
interfectorem sexaginta fratrum minorum, & aliorum plu-  
rimorum fidelium, pro haeretico cum omnibus fautoribus  
suis condemnauit.

M C C L V I .

Rex Vilhelmus occisus est à Frisonibus.

M C C L V I I I .

Tartu-

Tartari expugnauerunt partes Orientales, videlicet re <sup>Oriens v2</sup>gnum Indiæ, regnum Armeniæ, regnum Niniue, regnum status de Vualdach, regnum etiam Ierosolymitanum, Antiochiam, & partes Christianorum ultra mare.

## M C C L X .

Gerhardus archiepiscopus Moguntinus, mortuus est in Erfordia, & sepultus ibidem, cui successit Vuernherus. Eodem anno ducissa Brabantæ, filia beatæ Elizabethæ cum magno exercitu & annis bellicis intravit Turingiam, ducens secum filium suum Landgrauium Hassiæ, qui tunc erat annorum duodecim, dictamq; terram spolijs & incendijs deuastauit: quia Marchio Mishensis prædictam terram sibi usurpauerat, cum tamen filius iam dictæ ducissæ, Landgrauius scilicet Hassiæ, propinquior esset hæres.

Bellum in  
ter Braban-  
tos & Mis-  
senes.

D E N I G R O M A N T I C O I N F R I-  
B E R G A M I S N I A E .

In diebus istius Marchionis Henrici, accidit quoddam valde miserabile & horrendum in Friberga ciuitate di-  
eti principis. Quidam enim scholaris amore cuiusdam  
puellæ nimium stimulatus, consilium atq; suffragium à  
quoddam nigromantico, promissa pecunia, requisivit,  
vt sibi puellam impetraret. Ille autem in quoddam cella-  
rium, eundem scholarem secum ducens, & spheras ac  
figuras, vt assolent, circum se super paumentum descri-  
bens, cœpit legere coniurationes diabolicas. Postquam  
autem multa phantasmata diaboli, se utriusq; oculis inge-  
fissent, tandem diabolus in forma illius puellæ apparuit,  
seq; illi in eius amore ardente eminus exhibebat. Ille  
cœco amore ductus, cum manum extra sphærā ex-

Pœna ni-  
gromantici.

tenderet, volens amasiam suam depræhendere, statim à dæmonio arreptus, & ab eo parietibus cellarij allitus & conquassatus, supra nigromanticum illum est proiectus mortuus. Tunc ille fere exanimis factus, inde se mouere non potuit, sed toto residuo illius noctis, mortuum super se prostratum sustinens, voces edebat miserabiles. Mane multi de ciuitate, auditis huiusmodi clamoribus, conturbati & territi conuenerunt, & ipsum inde seminecem eduxerunt.

## M C C L X I.

Soldanus Babyloniæ, rex Aegypti, resumptis viribus cum exercitu barbarorum, clam irruit in castra Tartarorum, & multa ex eis millia interficit. Hoc anno quatuor Metropolitani, Moguntinus, Treuerensis, Bremensis, Magdeburgensis, à Papa Alexandro 111. Romæ consecrati sunt. Eodem anno multa millia flagellatorum prodierunt in mundum, dicentes hominem ab omnib. peccatis absolui, si in tali secta per vnum mensem versaretur.

## M C C L X I.

Tartari.

Celebrata sunt concilia in Moguntia, ab archiepisco-  
po Vuernero, & aliâs ab alijs archiepiscopis, iubente Pa-  
pa Alexandro, contra Tartaros, & alia pericula, vt per  
verbum crucis, & orationes fidelium, inimicis Ecclesiæ re-  
fisteretur.

## M C C L X I I.

Venit quidam cum exercitu magno dicens, se esse Im-  
postor. peratorem Fridericum, qui ante decem annos mortuus  
fuerat.

DE CONFLICTV PRINCIPVM.  
In vi-

## M C C L X I I I .

In vigilia Apostolorum Simonis & Iudæ, illustres principes Albertus Turingiæ Landgravius, & germanus eius Marchio Ditericus de Landisberg, conflictum habuerunt <sup>Præliū in-</sup>  
ter Misnenses cum duce Saxoniæ Alberto, & gloriose triumphantes & Saxones. ceperunt ipsum ducem, & comitem Henricum de Anhald, & alios plures comites & nobiles.

## M C C L X I I I I .

Stella, quæ dicitur cometes, visa est.

## M C C L X V .

Clemens I I I I . à sancto Petro c x c I I I I . ordina-  
 tur. Hic cum Meinfrido, rege Apuliæ, filio Imperato-  
 ris Friderici, graue prælium habuit. Eodem anno Solda-  
 nus Babyloniae impugnans Christianos, in terra sancta ce-  
 pit Azotum, castrum domus hospitalis, & castrum & ci-  
 uitatem Cæsaream, & ciuitatem Capham.

## D E C O N F L I C T V R E G V M .

## M C C L X V I .

Clemens Papa præcepit crucem cum magna indulgen-  
 tia prædicari in subsidium terræ sanctæ. Eodem anno co-  
 mes Carolus frater regis Franciæ Ludouici, conflixit cum  
 Meinfrido, rege, filio Imperatoris Friderici, & vicit & oc-  
 cedit eum. Quo facto Papa fecit Carolum regem Siciliæ. Eodem anno comes Hoënloius, & ciues Vurtzburgenses <sup>Præliū in-</sup>  
ter antisti-  
 tes. cōfixerunt cū comite Hermano de Hennenberg, apud ci-  
 uitatem Kitzingen, iuxta Mogum flum pro episcopa-

tu, quia duo per dissensionem electi fuerant. Sed comes Hoënloius cum omnib. suis cruce signatis, victoriam habuit. Hoc etiam anno Soldanus Babylonie subiugavit sibi Ierusalem, Bethleem, Nazareth, Galilæam totam, & alias multas munitiones. Cœpit etiam, & suffodiens castrū munitissimum, quod dicitur Caphet, in quo fratres domus Teutonicæ, & alios Christianos inuentos, duris vinculis constrinxit ad duo millia, & plures. Hos omnes in fide examinari fecit, ipsi vero omnes præter octo, in confessione Christi occisi sunt.

Sævitia in Christianos.

## M C C L X V I I.

Cruce signati sunt in subsidium terræ sanctæ, rex Franciæ Ludouicus, rex Angliæ, rex Aragoniæ, rex Nauarræ, archiepiscopus Rotomagensis, & alij plures. Eodem anno beata Hedwigis quondam ducissæ Poloniæ, canonizata est à Papa Clemente.

## DE CONRADO ET CAROLO.

## M C C L X V I I I.

Clemens Papa crucem prædicari fecit contra regem Conradum, filium Imperatoris Friderici, & contra ciuitates Thuscianæ & Langobardianæ illi adhærentes. Initio autem conflictu inter Conradum & Carolum, victoriam habuit Conradus, sed à quodam potente Langobardo in munitio[n]em receptus, traditus est fraudulenter cum Marchione de Baden, & comite Pisano. Qui post paucos dies à Carolo capitalem sententiam acceperunt, prius tamen confessione facta.

## M C C L X I X.

Solda-

Soldanus expugnat Antiochiam , & occidit in ea multa millia hominum.

## D E F I L I A I M P E R A T O R I S .

M C C L X X .

Obiit rex Vngariae Bela. Eodem anno inclita & nobilissima princeps Margaretha , filia Imperatoris Friderici , Turingiae Landgravia , cum multis contumelias , & comminationes etiam mortis , à marito suo Landgrauio Alberto indignè pertulisset : tandem existens in castro Vuartbergo , suffragio cuiusdam militis , per murum in sporta de altissima rupe eiusdem castri demissa , cum duob. tantum pedisequis , & duobus camerarijs fugam iniit. Ipsa namq; inter cæteras pedisequas suas vnam habuit , quæ Cunegundis de Isenberg vocabatur , quam idem Landgrauius amans , & cum ea frequenter adulterans , filiam Cæsaris exosam habuit & despectam. Abbas Fulensis dictam filiam Imperatoris fugientem , vsq; ad Francofurdiā duci fecit , vbi à ciuib; honorificè suscepta & pertractata , ibidem defuncta est eodem anno , & honore regio tumulata , per archiepiscopum Moguntinum.

Maritalis  
perfidia.

M C C L X X I .

In Teutonia famæ valida fuit , & tribus annis durauit , ita quod multi homines fame perierunt.

Fames.

M C C L X X I I .

Rex Vngariae Stephanus , post plurima prælia inter ipsum & regem Bohemiae Odoacrum habita , mortuus est.

In fe-

M C C L X X I I I.

In festo S. Michaëlis in Francofurtia electus est in regem Romanorum, Rudolphus de Habisburg, comes prouincie Alsatiae, & statim Aquisgrani coronatus.

M C C L X X I I I I.

## DE RODOLPHO IMPERATORE.

Rex Boë-  
mia ad im-  
perium aspi-  
rat.

Lugduni celebratum est concilium magnum praesidente Papa Gregorio x. Hic electionem regis Rudolphi confirmauit, reprobatis nuncijs regis Hispaniae, & regis Bohemiae. Ipse namque rex Bohemiae Odoacrus solennes nuncios, & multam pecuniam & munera ad curiam domini Papae Gregorij transmiserat, eò quod ipse ad imperium aspiraret. Papa munera non attendens, circumsedentibus sic dicebat, Cum in Alemania plures principes & comites habeamus, quare vellemus Sclauum ad imperium sublimare? Rudolphus itaque imperium adeptus, regnauit annis x viii. Iste in diebus suis tranquillam pacem procurauit, aequus iudex diuiti & pauperi extitit, Ecclesias & hospitalia defendit & protexit. Cum videret milites, humilibus personis secum loqui cupientibus, accessum ad se prohibere, dixit, Per Deum, date hominibus accedendi locum, non enim propter hoc ad imperium sum electus, ut hominibus in arca præcludar. Vbicunque processit, si conspexit aliquem secum loqui cupientem, statim se illi exhibuit ad confabulandum. Ipse denique omnibus se exposuit, & neminem contempserat. Strenuus erat in armis, in Christiana religione fidelis. Et cum esset mira prudentia, & prouerbia etatis, hilaris tamen & iucundus semper extitit, & cum magna modestia & mansuetudine imperium gubernauit.

Affabili-  
tas in Impe-  
ratore.

DE

DE LANDGRAVIO ET MAR-  
CHIONE FRATRIBVS.

M C C L X X V .

Orta discordia inter nobiles principes , Albertum Turingorum Landgrauium , & fratrem eius Ditericum Marchionem de Landisberg , ideo Marchio Ditericus , & archiepiscopus Magdeburgensis Conradus , Turingiam cum magno exercitu armis hostilibus inuadentes , castra metati sunt , in ciuitate , quæ Dennewestete dicitur , & tantum una nocte inibi permanferunt . Nam prædictus Landgrauius Albertus eadem nocte exercitum mille equitum armatorum & ultra , & peditum vulgus innumerabili conuocans , fratrem suum iam præfatum potenter & vi- riliter de terra Turingia fugat .

Pugna in-  
ter Landgra-  
vii.

M C C L X X V I .

Iohannes x v i i i . à Sancto Petro c x c v i i i . Pa-  
pa ordinatur : hic dum quendam librum , vt dicebatur , hæ-  
reticum & peruersum dictaret , subito domus , in qua sede-  
bat , super eum corruit , & in tantum concussit , vt infra  
spacium quinque dierum , miserabiliter moreretur , repli-  
cans saepius hæc verba , vel similia , Quid fiet de libello  
meo ? quis complebit libellum meum ? Obiit & iste primo  
anno pontificatus sui . Eodem anno rex Romanorum  
Rodolphus multa militia & pugnatorum turma collecta ,  
aciem direxit ad orientem , subiiciens sibi terras , quas rex  
Bohemorum Odoacrus occupauerat , & sibi illicitè usur-  
pauerat , videlicet Austriam , Stiriam , & Carinthiam , &  
loca plura alia .

Papa rui-  
na oppressus

Bellū con-  
tra regē Boë  
miae.

HOSTIS GERMANORVM PAPA.

Martini-

Martinus III. Papa, in tanto odio habebat Tentoni-  
cos, vt optaret totam Alemaniam vnam esse piscinam.  
Votū pon-  
tificis.

## DE VISIONIBVS DIVERSIS.

Somnia.

In illis diebus dum guerræ & prælia inter regem Roma-  
norum Rodolphum, & regem Bohemorum Odoacrum  
crescerent, & utrobicq; malum discordia augeretur, diuer-  
sa visiones & somnia veridica, de casu regis Odoacri, sunt  
diuersis reuelata. Ipse namq; rex Bohemiæ vidit in visu no-  
ctis, quod pluriua cornua haberet in capite, quæ omnia  
præter vnum sibi radicitus sunt euulsa. Quidam etiam cle-  
ricus in Alemania vidit in somno, quod fluuius magnus &  
turbidus, glacie mixtus, raptim traheretur ab occidente,  
contra Bohemiam, vocemq; audiuuit lamentabilem, cla-  
mitantem hæc verba, Dies tribulationis, dies miseriae.  
Quidam quoq; miles nomine Reinbotho, similiter Teuto-  
nicus, vidit per somnum quindecim Lunas in cœlo pugna-  
re, quarum duæ cæteris erant maiores, & vna ex his dua-  
bus habebat foramina multa, in quam cæteræ Luna im-  
pegerunt, & penitus consumserunt, cumq; iam dictus mi-  
lies hoc miraretur, vidit regem Bohemiæ propestantem,  
& multum vomitum emittentem.

## DE REGE ODOACRO OCCISO.

M C C L X X V I I I .

Pugna in-  
ter Imp. &  
Boënum.

Rex Romanorum Rodolphus, & rex Bohemiæ Odo-  
acrus multis millibus pugnatorū in campo Austriae, quod  
Marchfeld dicitur, ad pugnandum hostiliter sunt congregati.  
In hoc conflictu utrisq; exercitibus hostiliter dimicanti-  
bus, rex Bohemiæ à suis traditus, & ad mortem vulnera-  
tus occubuit. De eius morte rex Romanorum supra mo-

dum

dum turbatus est , quia commiserat suis , vt ipsum incohūmem conseruarent . Mortuo rege Odoacro statim maxima clades totius regni eius secuta est , ita vt per triennium cotidie gens Bohemorum de terra sua fame compellente , & inopia , relictis habitaculis transmigrarent , venientesq; in Turingiam & Misnam , & alias partes Teutoniae , miserabili inedia per plateas ciuitatum , mortui corrue- rent . Corpus quoq; regis Odoaci seruabatur multo tempore insepultum , quia ipse fuerat a domino Papa excommunicationis sententia notatus .

## D E R E G E V V E N C E S L A O .

Filius regis Odoaci , vnigenitus Vuenceslaus II. regnauit pro patre suo , cui rex Romanorum Rodolphus filiam suam , Gutham nomine , tradidit in vxorem , alteram filiam dedit Carolo filio regis Siciliae , tertiam duci Bauariae , quartam duci Saxoniae . Sororem Vuenceslai coniunxit Rodolpho filio suo iuniori , quem constituit ducem Austriae . Hic defunctus est Pragæ , & sepultus in Ecclesia cathedrali relinquens filium , nomine Iohannem . Albertus autem senior filius regis Rodolphi , successit fratri suo in ducatu Austriae , & Iohannes mansit apud auunculum suum Vuenceslaum regem Bohemiae . Dux Albertus filius regis Rodolphi , iam duxerat in uxorem Mathildim sororem ducis Carinthiae , & comitis Tyrolensis , quæ genuit ei multos filios & filias . Primogenitus eius Rodolphus duxit filiam regis Franciae , quæ in primo puerperio defuncta , sepulta est in Vienna Austriae .

Rodolphi  
filia.

## D E F R I D E R I C O S I M V L A T O .

M C C L X X X I I I .

Archie-

Archiepiscopus Moguntinus Vuernerus defunctus est.  
 Eodem anno vir quidam senex venit in coloniam Agrip-  
 pinam, afferens se esse Fridericum Imperatorem, qui an-  
 perator. Filius Im te x x x i i annos mortuus fuerat. Hic electus à Colo-  
 nia, receptus est à ciubus Nuissiæ.

## M C C L X X X V.

Hoc anno obiit rex Siciliæ Carolus, & filius eius in bel-  
 lo occisus. Mortui etiam sunt, Marchio Ditericus de  
 Landsberg, filius Marchionis Henrici Misnensis, comites  
 de Orlamunda Hermanus & Otho, comes Henricus de  
 Suartzburg. Eodem anno vir ille, qui finxerat se Imperato-  
 rem Fridericum, crematus est in Vuitzlaria.

## DE VVERNERO MARTYRE.

## M C C L X X X V I I.

Rex Romanorum Rodolphus, in ciuitate Francorum,  
 quæ dicitur Vurtzeburg, colloquium habuit cum princi-  
 pibus & nobilibus Teutoniæ. Hoc anno felix adolescens  
 Puer a Iu-  
 dæis occisus. Vuernerus, excruciatus est à Iudæis, & occisus in die pa-  
 rasceues, ad littus Rheni fluminis, in ciuitate Vuesela, &  
 in oppido Bacherach sepultus, cuius sanctitatem miracu-  
 la ibidem protestantur.

DE MORTE HENRICI MAR-  
 CHIONIS.

## M C C L X X X V I I I.

Obiit archiepiscopus Moguntinus Henricus, cui suc-  
 cessit Gerhardus. Hoc etiam anno inclitus princeps  
 Marchio

Marchio Misnensis Henricus defunctus est Dresdæ , & sepultus in Cella , cum patribus suis, in monasterio ordinis Cisterciensis. Eodem anno archiepiscopus Colonensis captus est in prælio , & occisi sunt viri circiter mille in ipso confictu.

Mors pri-  
mi Landgrā-  
vii Turingiæ.

## M C C L X X X I X .

Dux Vratislauiensis Henricus, subiungavit sibi regnum Cracoviæ , & veneno interiit anno sequente.

D E R E G I S A D V E N T V I N  
T Y R I N G I A M .

## M C C X C .

Rex Romanorum Rodolphus intravit Turingiam, reformans pacem non solum illi terræ, sed & alijs in confinio eius, & conuocans principes, & multos nobiles, in conuiujs & delicijs cum eisdem mansit in Erfordia ciuitate , per plures dies, fueruntq; secum ibidem filij sui Albertus & Rodolphus, dux Austriae , qui adhuc vixit , licet de morte sua anticipando dictum sit. Filia quoq; eius Iutta regina Bohemiæ , item ducissa Bauariae , & ducissa Saxoniæ , & alia multæ nobiles foeminæ.

Rodolphi  
Imp. aduen-  
tus in Turin  
giam.

## D E E X C I D I O T E R R A E S A N C T A E .

## M C C X C I .

Ciuitas Accaron capta est a Saracenis, & multa millia hominum ex utraque parte ceciderunt , & tunc Christiani omnino de terra sancta expulsi sunt, quorum multi con fugerunt in Cyprum insulam. Eodem anno obiit gloriosus Y rex Ro-

Saraceno-  
rum tyrannis

330 LIBER SECUNDVS  
rex Romanorum Rodolphus, & sepultus est in Spira, anno  
regni sui x viii.

## DE REGE ADOLPHO.

M C C X C I I .

In Francofurtia electus est comes Adolphus de Nassau in regem Romanorum, archiepiscopo Moguntino Gerhardo, alios principes ad eiusmodi electionis consensum attrahente.

## DA VASTATA TVRINGIA.

M C C X C I I I .

Rex Romanorum Adolphus, manu forti introiuit Turingiam mense Septembri, multa mala ibidem exercens, stuprans virgines, Ecclesias vastans, innocentes & iustos spoliants, opprimens, & occidens, & alia plura perpetrans contra normam iusticie. Contigit autem cum idem rex Adolphus in Turingia quandam villam pertransiret, quæ Sumeringen dicitur, iuxta quam extructa est Ecclesia sancti Gangolfi militis & martyris, ut duæ vetulæ mulieres ad dictam Ecclesiam cum rebus suis confugerent, quas quidam pedites de exercitu, rebus & vestibus spoliantes, nudas perunxerunt pīcē, cum sebo mixto, deinde in plumis volutantes, discurrere permiserunt. Tunc illæ cum fletu & clamore, vsq; ad regem peruererunt. Quas videns comes Ditericus de Hoenstein, lachrymans & regem accedens dixit, Domine videte & miseremini. Cui rex, Ec quis modò poterit inuenire reos? & sic illæ mulieres aetate sunt conuersæ cum merore, nullam gratiam consecuta sunt.

Ludibrium  
Sueorum  
quo dehone-  
starunt fœmi-  
nas.

DE

DE VASTATIONE MISNAE, ET  
EXPULSIONE PRINCIPVM.

M C C X C V I.

Rex Adolphus tyrannide sua in Turingia crudeliter expleta, ut superius est narratum, ad terram Orientalem castra & arma mouit. In qua quibusdam munitionibus occupatis, quibusdam funditus destructis, direxit aciem contra Misniam, & tradita est ei ciuitas Friberga, in qua castrum firmissimum suffodiens, cepit, & multos strenuos viros in eo repertos capitali sententia condemnauit. Tradita est ei quoq[ue] Misnae castrum & ciuitas, & aliæ munitiones terræ. Et tunc Marchiones Misnenses Fridericus & Dicemanus germani filij Landgrajij Turingorum Alberti, nepotes Imperatoris Friderici, de iam dictis terris progenitorum suorum eliminati sunt. Quasdam deinde munitiones in Misna & Turingia, & terra Orientali resumpserunt.

Exiliū principum optimorum.

DE CORONATIONE REGIS  
BOHEMIÆ.

Eodem anno in festo Pentecostes rex Bohemiæ Venceslaus II. ab archiepiscopo Moguntino Gerhardo coronatus est, & vñctus. Et hæc solennitas Pragæ peracta est regali sumptu, & pompa gloriofa. Affuit ibidem dux Austriae Albertus, filius regis Romanorum Rodolphi, & alij principes Germaniæ & Poloniæ, & episcopi multi: sed gaudium in mcerorem (proh dolor) est conuersum. Nam inclyta Iutta, Rodolphi regis Romanorum filia, dicti regis Bohemiæ coniunx, cùm nouiter peperisset, sic in ipso puerperio coronata, dolore inualescente defuncta est, relinquens filium nomine Venceslauum, & filiam, quam postmodo iunior dux Carinthiæ accepit vxorem. In ea-

dem solennitate principes Electores, vna cum Archiepiscopo Moguntino, & rege Bohemiæ decreuerunt destituere regem Romanorum Adolphum, plures articulos contra ipsum producentes. Primus fuit, quia Ecclesiæ vastasset: secundus, quia virgines stuprasset: tertius, quia accepisset stipendia belli ab inferiore se, scilicet rege Angliae, quod Augusto non licet, nec decet: quartus, quia Remp. non auxisset, sed magis dissipasset, & ab hoc Augustus de cætero vocari non deberet. His alijsq; de causis eodem anno eidem Adolpho imperium ab iudicantes, ducem Austriæ Albertum, ipsum regem Romanorum & Augustum nuncupant. Eodem tempore grossi Pragenses denarij initium ceperunt, sub rege Vuenceslao II. Post aliquot annos Vuenceslaus morore abiecto de morte reginæ, duxit filiam regis de Calis, sibiq; regnum Calis, & regnum Cracoviæ subiugauit.

## DE INTERITV REGIS ADOLPHI.

M C C X C V I I I.

Inter regem Adolphum iam abiectum, & regem Albertum nouiter electum, graue bellum est exortum. Dictis regibus cum multis millibus militum & pugnatorum iuxta Rhenum fluuium, tempore messis ad confligendum congressis, multi ceciderunt. Demum ex vtraq; parte hostiliter dimicantibus, totum pondus prælii versum est in Adolphum, ceciditq; non solum gladijs vulneratus, sed & vngulis equorum conculcatus, & in proprio sanguine volutatus, miserabiliter animam exhalauit. Et sic Deo annuente victoriam gloriosam obtinuit rex nouus Albertus, itaque Aquisgrani coronatus, regalem accipit benedictionem.

Cædes re-  
gis Romano  
rum.

DE

## D E T E R R A E M O T V .

Eodem anno ante nativitatem Domini, magnus terræ motus & inauditus cœpit fieri in Thuscia, qui proten-debatur tempore & loco. Tempore quidem, quia continuauit octo hebdomadas, & factus fuit singulis dieb. plu-  
ries: loco verò, quia cœpit in ciuitate, quæ dicitur Forli-  
uim, & protendebatur per tres diætas vscq ad Reate ciui-  
tatem, in qua tunc morabatur Papa Bonifacius cum Car-  
dinalibus, & de Reate per diætas vscq ad muros vrbis Ro-  
mæ. Fuit autem tam vehemens ille terræmotus, vt in di-  
uersis castris & ciuitatibus multas turres & domus subrue-  
ret: quarum ruina, quot homines vtriusq sexus obruti &  
perempti fuerint, quis enarrare sufficiat? Idem Papa dum  
altari, diuina celebratus, astaret, subito terra horribili  
motu & stridore concutitur, parietes basilicæ quatun-  
tur, lapides collisi ad inuicem, dissecantur. Quid plura?  
Papa ex huiusmodi strepitu terribili defecit viribus, & li-  
cet vallatus esset turba Cardinalium & militum, inter ma-  
nus ministrorum corruit, vixq eductus de Ecclesia, fugam  
cum cæteris inijt. Hoc anno fuit visa stella, quæ dicitur  
cometes.

Terræmo-  
tus horten-  
dus.

## D E E V C H A R I S T I A V E N D I T A .

M C C X C I X .

Iudæi perfidissimi corpus Christi sacrum in nocte san-  
cti Paschatis emptum, à custode Ecclesie in ciuitate Fran-  
coniaæ, quæ Rœtingen dicitur, per diuerfas ciuitates & ca-  
stella alijs Iudæis distribuerunt. Quædam religiosæ mu-  
lieres, quæ sacras vigilias ad tumulum crucifixi obserua-  
bant, sicut moris est in Teutonia, cum hora matutina-  
rum de Ecclesia prodeentes, irent ad excitandum Eccle-

siæ presbyterum, vt crucifixum de monumento ante matutinas, secundum consuetudinem, subleuaret, viderunt super domum Iudæi, qui sacramentum emerat, duo rutilare luminaria, cumq; attonitæ starent, & secum quærerent, superueniens presbyter interrogat, quid conferant, vidensq; cum ipsis luminaria, compertoq; quod Iudæus cum custode in Ecclesia fuisset, & iuxta altare, cautè vocat iudicem ciuitatis, & quosdam de ciubus, qui irruentes in dominum Iudæi, ipsum & custodem Ecclesiæ ceperunt. Qui statim coacti, facinus perpetratum confessi sunt. Iam ve-

Facinus Iu-

rò, vt dictum est, idem corpus Christi, per diuersas Iudæorum dispersum fuerat mansiones, qui sæpe dictum corpus Christi sacratissimum acubis & subulis pungentes, & in mortariolis tudentes, & per illas puncturas & tunisiones sanguinem elici conspicientes, tandem in diuersis locis sub terra suffoderunt. Sed Deus omnipotens sacramentum salutis multis miraculis prudentibus, suis fidelibus propalauit. Quapropter Christiani insurgentes contra Iudæos, eos per diuersas ciuitates & loca turmatim occiderunt. Contigit vt multi Iudæi ad quoddam castrum confugent, vt se ibidem defensarent, cumq; Christiani ad expugnandum dictū castrū fortí manu conuenissent, & illud iam vallassent: quædam virgo Iudæa, de eodem castro importunis clamorib. rogabat Christianos, vt ipsam inde eriperent & baptizarent. Iudæis ipsam deorsum trahentibus & increpantibus, illa de manibus eorum elapsa, de altitudine castri se præcipitem dedit. Sed ecce mirum in modum ipsa quasi manibus angelicis portaretur, illæsa descendit, & mox ad fidem Christi & baptisma con fugit.

DE ARCHIEPISCOPIIS REBEL  
LANTIBVS.

Tres

## M C C C .

Tres archiepiscopi, Gerhardus Moguntinus, Treuiren-  
sis, frater scilicet regis Adolphi, & Coloniensis, se contu-  
maciter contra regem Romanorum Albertum exerunt,  
& orto graui bello inter eosdem hostiliter præliatum est,  
vñq; ad annum sequentem.

Antifites  
contra Imp.

## D E R E G E F R A N C I A E.

## M C C C I .

Stella cometes visa est, quæ ante natinitatem Domini,  
post occasum solis apparuit, & ante medium noctem oc-  
cidit, comam fudit ad orientem, & visa est per noctes  
quindecim. Eodem anno rex Franciæ cum magno exer-  
citu pugnatorum, contra ciuitates Flandriæ, quibus indi-  
xerat bellum, properauit: sed ipsis rebellibus, multa  
millia nobilium & militum, aliorumq; pugnatorum de ex-  
ercitu regis ceciderunt.

Gallus in  
Flandros.

D E C V R I A R E G I S R O M A N O -  
R V M I N D I C T A .

## M C C C I I .

Facta pace inter regem Romanorum Albertum, & ar-  
chiepiscopos suprà dictos, quos idem rex multum humili-  
auerat, statim ipse rex facto dicto, omnib. principib. præ-  
cepit, vt ad Curiam suam in festo Sebastiani martyris, Mer-  
seburgi celebrandam conuolarent, sed quia sæpe dictus ar-  
chiepiscopus Moguntinus, Gerhardus, quibusdam literis  
regis Bohemiæ Vuenceslai incitatus, contra maiestatem  
Augusti se temerariè erigens, pacem & fidem datam vio-  
laret,

Comitia  
Merseburgi  
impedita.

**Arrogantia antistititis.** laret, fuit dictæ curiæ celebritas impedita. Idem Gerhardus sæpius arroganter & iactanter dicere solebat, se habere adhuc reges in pera sua, quasi ipse solus posset reges Romanorum deponere & creare: sed mentita est iniquitas sibi: ipse namque longè ante regem Albertum mortuus est. Itaque tres archiepiscopi memorati, scilicet Moguntinus, Treverensis, Coloniensis, vna cum rege Bohemiæ contra regem Romanorum Albertum conspirabant.

## DE CONRADO MARTYRE.

M C C C I I I.

Iudæi perfidi effusione sanguinis Christiani assueti, scitum quendam puerum scholarem, Conradum nomine, filium cuiusdam militis in Vuisenfha, ciuitate Turingia, multis cruciatibus affligentes, & sectis omnibus neruis & venis, totum sanguinem eius elicentes, ante festum Palchatis crudeliter occiderunt. Sed Deus omnipotens, qui Iudeorum gloriosus est in sanctis suis, innocentis pueri necem occultari non sustinens, & homicidas perdidit, & martyrium innocentis multis miraculis decorauit. Cum enim dicti Iudæi puerum occisum occulte per plura loca Turingiae ducerent ad tumulandum, Deo disponente, nusquam abscondere valuerunt. Vnde ipsum reducentes apud prædictam ciuitatem Vuisenfham, in quadam vinea suspenderunt. Tandem tam crudeli homicidio proditio, & rei veridem ciuitatis, reliquiamque vulgus, vna cum Marchione Friderico filio Landgravij Turingia Alberti, repugnantes turmatim occiderunt.

Hoc anno nobiles domini de Columna, ceperunt papam Bonifacium, & seruabant tam diu in custodia, quo usque composuisset cum eis pro voluntate eorum. Quo facto ipse

ipse nullum cibum amplius sumere voluit: sed cum ab amicis suis rogaretur, ut cibum caperet, cum indignatione respondit, Nolo comedere, nolo amplius viuere, & sic mortuus est, anno pontificatus sui nono, & positus in tomba preciosa, quam sibi extruxerat in basilica sancti Petri, in monte aureo.

Papa se sa  
me necat.

D E P R A E L I I S R E G I S R O M A N O-  
R Y M , E T R E G I S B O H E M I A E .

M C C C I I I I .

Facta concordia inter regem Romanorum Albertum, & archiepiscopos sape dictos, rex Bohemiae Venceslaus adhuc Augusto se opponens, pluribus principibus & Baronibus, & militibus multis larga stipendia tribuit, quibus ad rebellandum dicto regi Alberto se muniret. Inter hos præcipui erant Marchiones de Brandenburg, scilicet Otho cum telo, & Hermanus Longus, gener Augusti, filius quoque regis Adolphi Ropertus. Rex igitur Romanorum Albertus, vocatis ad se, archiepiscopo Moguntino Gerardo, & duce Bauariae Othonem, alijsq; episcopis & principibus atq; Baronib. quamplurimis, collegit sibi præelectam militiam, & sic ad præliandum regali comitatu processit. Descendens per Bauariam, assumpto filio suo Rodolpho duce Austriae, valde strenuo in armis, qui gener fuit regis Austriae, aciem duxit contra confinia Moraviae & Bohemorum. Tunc occurserunt ei in auxilium, ab eodem Augusto vocati, Vngari & Poloni. Sed cum eadem gentes Moraviam, & confinia eius inaudita vesania deuastarent, ita vt virorum & mulierum manibus perforatis, & funibus innexis ipsos sic deducerent, infantesq; ad sellas equorum connecterent, virgines quoq; in conspectu omnium stuprarent, rex expauit, ipsosq; a se abegit, & ad sua redi-

Schisma in  
imperio.

Scelus mi-  
litare.

re coegerit. Quo comperto, dicti Vngari & Poloni populum turmatim de terra tanquam greges abigebant, dicentes se nequaquam debita stipendia perceperisse. Quo auditio Augustus fortissimum exercitum post eos destinauit, qui ipsos insequentes, & ultra mille ex eis prosterentes, captiuos quos abduxerant, reduxerunt. Multi tamen deduci sunt, quorum quidam per se postmodo redierunt. Denique rex Romanorum Albertus, mouit exercitum, veniensque in Bohemiam, castrametatus est in medio terrae, è regione montis argentifodinarum, qui vulgariter Cuttena dicitur, indixitque conflictum pugnae sororio suo, regi scilicet Bohemiae. Rex Vuenceslaus cum multò maiorem exercitum pugnatorum haberet, quam rex Albertus, veritus tamen ipsum Augustum, cum eodem configere non praesumpserit. Transactis itaque pluribus diebus, quibus iam dictus rex Romanorum, in regno Bohemiae demoratus fnerat, alienatis in exercitu iam deficientibus, nimia fame compulsus, castra inde mouit, atque in Austriam reuersus est.

## DE BRVNONE MILLENBURGENSE.

Bruno Millenburgensis vir venerabilis, strenuus defensor & propugnator Ecclesiae suae, largus valde & misericors, cum ad extrema vitae infirmitate prævalente, deductus, Ecclesiastica sacramenta deuotè perceperisset, insit se extra stratum suum super cinerem ponit, & ibidem humiliter recubuit, & cum magna contritione, spiritu exhalavit.

M C C C V.

Visio.

Hoc anno quidam presbyter existens Dresdæ in civitate terræ Misniensis, vidit somnium in festo nativitatis domini, præsigium futurorum: nempe super regnum Bohemiae Lunam prælucidam in celo coruscare, cuius claritatem

tem cùm ipse & plures alij, vt sibi videbatur, mirarentur: sibi luna eadem in formam pisces transformata, cecidit super terram, statimque disparuit. Et ecce alia luna venit ab occidente, & corpore maior, & splendore clarior, stansque in celo super regiones Bohemiae & Misniae, tantum crevit in splendore, vt homines ad agriculturam & alia opera, sicut in die egredierentur. Reuelatum est autem videnti hanc visionem, quod sub rege significato per istam secundam lunam, tanta erit pacis abundantia, quod homines in nocte, sicut in die, securè ambulabunt. Itaque codem anno ante Pascha cœpit rex Bohemiae Vuenceslaus II. graui-ter infirmari, vidensque sibi mortis periculum imminere, per literas, & solennes meditationes, & nuncios regi Romanorum Alberto reconciliatus est, & formam concordiae eiusmodi reliquit unico filio suo Vuenceslao III, cui & regnum tradidit adhuc viuens. Tandem dispositis largissimis & regalibus testamentis, perceptisque Ecclesiasticis sacramentis, dormiuit cum patribus suis circa festum Pentecostes, anno regni sui XXVII, sepultusque in monasterio monachorum ordinis Cisterciensis, dicto Aula regis, quod ipse de novo fundauerat, & supra modum ditauerat.

Eodem anno mortui archiepiscopi Coloniensis Mogenitus, item episcopus Argentinensis, & alij plures.

Anno eodem dux Bauariae Otho, inuitatus a quibusdam nobilibus Vngariae, idem sibi regnum usurpauit, praeter Contentio regnum Vngariae. de regno Vn  
ter consensum regis Romanorum Rodolphi, qui a Papa Bonifacio V III. rex Vngariae fuerat declaratus. Sic schisma ortum est in iam dicto regno, ita ut quidam sequentur filium regis Siciliae, quidam ducem Bauariae.

## D E R E G E B O H E M I A E O C C I S O .

M C C C V L .

Rex

Charles re-  
gis.Regnum  
Boemie ad  
Austriacos.

Rex Bohemiæ Vuenceslaus III, nondum coronatus, occisus est fraudulenter à quodam milite, procurantibus quibusdam Baronibus regni sui. Hic cùm esset adolescens, vix sedecim annorum, & nouiter duxisset filiam cuiusdam ducis Poloniæ in vxorem, eodem anno nuptiarum, sic miserabiliter peremptus est, non relinquens hæredem regni. Tunc Barones dicti regni elegerunt sibi regem, ducem Carinthiæ, sororum scilicet præfati regis occisi, in consilio tamen rege Romanorum, cuius interest conferre iam dictum regnum. Igitur rex Romanorum Albertus fortissimi manu intravit in Bohemiam, & constituit ibi regem filium suum Rodolphum, ducem Austriae, dans ei uxorem, reginam Bohemiæ, videlicet regis Vuenceslai II. viduam. Sic ergo regnum Bohemiæ ad Teutonicos translatum est.

## M C C C V I I.

Suevi manu fortissimi Vngariam, & alias provincias circumiacentes ingressi sunt, multa castra & alias munitiones hostiliter deuastantes, & tandem pergentes in terras Turingiæ & Misniæ, miserabiliter interempti sunt, & reliqui in fugam versi, circa oppidum Luccam, Numburgensis diæcesis.

Dicemannus Marchio Misniensis occiditur à Sacerdote Lipsiæ in templo, quem ei Adolphi regis patruus Philippus immiserat.

S V P P L E M E N T U M  
C H R O N I C O R V M M I S -  
N E N S I V M .

Q V O L O C O Q V I D Q V E A D D E N -  
dum sit, quod prætermissum est, numerus pa -  
ginæ & lineæ indicat.

75. 21. Arx quarta in hac vrbe fuit, dic **Wasserburg**, castrum aquaticum, vt in monumentis dicitur, quia ad Ripam Albis extrectum. Eius nunc ne fundamenta quidem extant: vicus nomen retinet, portis duabus clausus. Inter ciues studia sunt: Cultus religionis, cui omnes homines nauare operam præcipue debent, qui & in cœlis salui, & honesti in terris esse & perhiberi volunt. Liberos curant educados in studijs literarum & philosophiarum, vndē tot viri nominabuntur, qui & patriæ & populis externis profuerunt, & nunc in magnis Reip. negotijs versantur, & paſſim cum fructu in templis ludicrj literarijs docent. Mercaturæ pauci dant operam, agros colunt diligentius & verius, & sunt tranquillitatis amantissimi. Exercent cum industria & perite ea quoque opificia, quibus communis vita, & hæc civilis societas carere non potest.

D C C C L X V I I I .

79. 22. Publicata hoc anno est templi Misnensis fundatio, ab ipso Imp. cuius tale exemplum inuenimus.

In nomine sanctæ & inuiduæ trinitatis, Otho diuinæ fauente clementia, Imp. Augustus. Nouerint omnes fi-deles nostri, præsentes scilicet & futuri, qualiter nos interuentu dilectissimi filij nostri Imperatoris Augusti, simul & Adelheidæ carissimæ coniugis nostræ, nec non pro memoria ac

ria ac remedio animæ patris nostri Henrici, more antiquorum Imperatorum & Regum, nostra Regali potestate Misnensi episcopatui terminum posuimus, nominando fines & determinationes locorum, sicut nominati sunt supra in literis Iohannis x i i i. Pontificis. Omnes qui infra terminum istum habitant, in omni felicitate terræ, frugum, & pecudum, in argento, vestimento, nec non quod Teutonici Ouercounga dicunt, & talunga familiarum: insuper tota vtilitate, & in omnibus rebus, quibus mortales vtuntur diuersis modis, decimationes quas Deo cuncta gubernanti debent, ad Misnensem Ecclesiam, primo Deo, deinde sancto Iohanni Euangelista, beatoq; Donato, Matri Dei, vniuersa dubietate procul remota, persoluant, referant, & reddant. Et si quis hoc præceptum, in remuneracionem Deo constitutum, disuertere & disruptere tentauerit, odiū Dei, sanctorumq; omnīū, incensanter habeat. Et vt hæc nostræ Regiæ potestatis donatio & cōstitutio nunc & in futuro, firma & inconuulsa permanendo consistat, hoc præceptū inde conscriptū, sigilli nostri impressione signare iussimus, manuq; propria, vt infra tenetur, corroborauimus. Rudbertus Cancellarius ad vicem vacationis archicapellani recognoui. Data x i i i. Cal. Nouemb. Anno Dominicæ incarnationis D C C C L X V I I I. Romæ in ecclesia sancti Petri, Indict. x i. feliciter. Anno II. Othonis magni Imp. Augusti, regni x x x I I. Imperij VI. Eandem fundationem confirmat Otho I I I. Regni sui anno x i i i. nati Christi D C C C X C. quæ literæ scriptæ Francofurti. Eandem publicat Henricus Marchio Misnensium, & primus Landgravius Turinorum M C C L I I. x i. Cal. Ian. in vrbe Misna.

81. 20. Emptionem bonorum Eficonis, confirmat Otho I I I. Imp. Huelnburgi, pr. Non. Octob. Ipse autem sine hærede fuerat mortuus, fratres eius cæsi erant in Suevia ad Lycum, prælio Vngarico.

## M X X.

85. 26. Voluntate Diterici Marchionis Misnensis, & Diterici præfusilis, arx Churina diruitur, néue ausu temerario instauraretur: præfus interdicit poena excommunicationis, Marchio periculo amissionis fortunarum inhibet, xii. Cal. Aprilis. Decretum Dresdenum factum est.

## M C X X X I X.

94. 28. Præfus accessionem ad redditus à Vuighardo & Luthero duobus nobilib. Statim accipit pagum, vino nunc nobilem, Cotisbrodam, anno sessionis xi. quam illi confirmauit Innocentius II. Pont.

## M C L X.

98. 21. Venceslaus rex Boëmiae, quod diœcesi Misnensis incendijs vastationem intulerat, pro se fratribusq; suis Henrico & Debaldo, & pro filio Friderico suo iterum satisfacit, & damna recompensat præfuli Gerungo, Literæ scriptæ à Geruasio præposito Vuisegradense, regni cancellario.

## M C L X V.

98. 27. Vuigmanus antistes Magdeburgius oppidum Lubnicium permutouit, & pro eo accepit Pretinum, quod diœcesis Misnensis tum erat. Factū Magdeburgi prid. Cal. Feb. præsentibus quinque tum præfulibus: inter quos Gerungus Misnensis fuit, ad quem actio pertinuit præcipue.

## M C X C V I.

102. 7. Ditericus præfus qui erat ad Cælestinum pontificem

ficem grauiter accusatus à suis canoniciis , etiam à Vurcinense præposito defertur , tanquam non iustis suffragijs dignitatem accepisse . Pontifex ad causam cognoscendam constituens certos homines , eum propter innocentia absoluit , & eius aduersarijs mandat , vt sint sui præsulii exemplo modestiores .

## M C C X X I X .

107.9. Idem Bruno cùm ætate esse decrepita , de eo ab officio amouendo apud Gregorium Pont. actum est , arbitris antistite Magdeburgio , & Brandenburgio præsule , qui eius dignitatem defenderunt acerrimè .

## M C C X X X I I .

107.19. Imp. Fridericus II. quidquid auri argenteue , vel cuiusuis metalli aut è terris foderetur , aut in aquarum decursibus reperiretur , dicavit templo Misnensi . Subscriptis præter alias Bertholdus patriarcha Aquileiensis , consanguineus comitum Rochliciorum .

## M C C X L I .

110.2. Limites terræ Zagostæ & Budissinensis constitutur à rege Vuenceslao , & Brunone præsule , propter quos multæ contentiones fuerant , & graues controuersiae . Subscripterunt præter alias Albertus dux Saxonie , & Ditericus comes Brenensis . Non. Maij .

## M C C X L V I I .

110.22. Castrum Lesnam Venceslaus Boëmia rex dedicat Ecclesie Misnensi , nomine Othogari patris , Vuadizlai filij , Agnetis sororis , X. Cal. Octob.

110.27.

M C C X L I X.

110. 27. Accusantur Canonici, quod in suo munere in-  
curij & negligentes, non residerent in locis solitis : ea de  
causa has literas dedit ad praesullem legatus pontificius:

Venerabili in Christo patri Conrado, episcopo Mis-  
nensi. Frater Hugo diu<sup>x</sup> Sabin<sup>a</sup> presbyter Card.apostoli-  
cæ sedis legatus. Salutem & sinceram in Domino carita-  
tem. Ad audienciam nostram peruenit, quod nonnulli ca-  
nonici Ecclesie Misnensis, & aliarum Ecclesiarum, nostræ  
diæcesis præbendarum suarū prouentus percipientes, non  
curant in ecclesijs, in quibus illas obtinent residere, pro-  
pter quod ecclesia ipsæ, debitiss seruitijs defraudantur. No-  
lentes itaq<sup>b</sup>, vt in ecclesijs diminuatur diuini numinis cul-  
tus, sed potius augeatur, nostra qua fungimur, auctoritàte  
mandamus, si est ita, dictos canonicos, ad faciendam  
debitam in Ecclesijs suis residentiam, secundum antiquam  
& approbatam Ecclesiarum ipsarum consuetudinem, mo-  
nitione præmissa, vt auctoritate nostra per censuram Ec-  
clesiasticam, compellatis contra eos, ad priuationē præ-  
bendarum suarum, si rebellio ipsorum meruerit, nihilomi-  
nus processuri. Datum Hildeshemi vii. Id. Martij, ponti-  
ficatus domini Innocentij i i i i. anno ix.

M C C L I I.

110. 27. Henricus Marchio, eiusq<sup>b</sup> compater Conra-  
dus præsul, ita inter se conueniunt, vt nulla amplius lis in-  
ter ipsos fuerit. Arbitri erant Ericus antistes Magdeburgi-  
us, Ludolphus Numburganus, Henricus Mersburgius.

M C C L X I I I.

111. 20. Præpositus Afranus, vocato ad se suæ societa-  
tis Canonico, iuuene eruditio & bono, eum rogauit, vt si-  
bi tres

bi tres res gratas faceret, si fortassis cōtingeret, vt in agone sibi adesset: quod cūm submissē polliceretur se facturum, Primum est, inquit, vt me admoneas, sudoris Christi, quē in angustia sui peccoris cōpiosē effudit, ne videlicet peccatorum multitudine in meo angore obruar. Alterum, vt omnium dolorum & acerbitatum, quas Christus in cruce sustinuit, ne rigorem & penas delictorum in mea infirmitate sentiam. Ultimum, vt verborum me admoneas, quā locutus Christus est, quibus pro crucifigentibus se orauit, & latroni promisit paradisum, ne ipse extremo spiritu deficiam: sed vt Christus sua caritate me recipere in manū, & celos aperire mihi dignetur: qui meis meritis seruari nequeo, ac cœlestē regnū obtinere. Hæc canonicus ille iuuenis multis hominibus retulit, quia cū alacritate mori suum præceptorem vidit: & in pluribus postea locis inoleuit, vt is consolandi modus apud morientes seruaretur.

## M C C L X V I I.

116. 16. Arcem Vuasserburgiam Henricus Landgravius Turingiae, & Marchio Misniae cum templo diui Iacobi donat præfuli: probant Ditericus & Albertus filij.

## M C C L X X X I I I .

117. 27. Violatam concordiam inter Ericum Magdeburgum antistitem & præfulem Misnensem, Otho & Conradus Marchiones Brandenburgij resarcunt, Non Iunij.

## M C C L X X X V I .

118. 12. Erat seruorum genus, qui sermone vulgari Gasti vocabantur, qui ad Ecclesiæ arbitratum cogebantur quoduis præstare obsequium, sine recusatione: poterant precio se redimere, quod ex hoc liquet diplomate.

Bernar-

Bernardus præpositus, & Siffridus Decanus, totumq; Misnensis Eccl. Capitulum, vniuersis & singulis, præsentem paginam intuentibus, salutem. Omnia habere memoriam, & in nullo dubitare, diuinitatis cuiusdam potius, quam humanitatis existit: & ideo ne ea, quæ in tempore geruntur, lapsu temporis obliuione tradantur, solent scripsi testimonio perennari. Cum Martinus de Canyn, & Hermanus frater eius, & filii Iohannis fratris prædictorū, videlicet Martinus, Hermanus, & Petrus, dicti de Pitsuitz, in nostra prouincia constituti, recognouissent, & cognatos suos esse seruos, qui vulgariter Gasti nuncupantur, Ecclesiæ & Capituli nostri: a sumpto nobili viro Domino Meinhero Burggrauio Misnensis, ac alijs amicis suis, instanter petiuerunt, vt recepta certa summa pecunia, eos è servitute emanciparemus, & cum paruulis suis, linea directa descendantibus, libertati donaremus. Nos vero nobilis viri domini Meinheri Burggrauij Misnensis, & aliorū ipsorum amicorum, precibus inclinati, Martinum, & Hermannum fratrem eius, & filios Iohannes fratris prædictorum, scilicet Martinum, Hermanum, & Petrum de Pitsuitz antē dictos, receptis decem marchis argenti, cum liberis suis directe tantummodo descendantibus, emancipamus, & libertati donamus: omnibus alijs consanguineis & cognatis eorum, in seruos Ecclesiæ Misnensis, & nostro Capitulo referuatis. In cuius rei testimonium, sigillis Capituli nostri, & nobilis viri domini Meinheri Burggrauij Misnensis, iussumus & petiuimus præsentem literam colorari. Actum & datum anno Domini M C C L X X X V I I . Cal. Febr. præsentibus testibus infra scriptis,

D. Leone præposito sanctæ Afræ.

D. Iohanne de Vuildenhan, canonico regulari ibidem.

M C C L X X X V I I .

118. 22. Cum factio quædam latrocinantium molestia esset his terris , post mortem Landgrauij , fœdus publicum inter se fecerunt, Fridericus Turingiae Landgravius, & Saxonie Palatinus, Dicemanus Marchio Pleifensis, Otho comes Brenensis , Albertus Anhaltinus. item Vuitingo Misnensis , Bruno Numburganus, Henricus Mersburgius præfules. Executores iniuriarum delecti , generosi viri, Otho comes Arnishugius , Meinherus & Albero Burggrauij Misnensis & Leisnicensis, Vodus Plauenensis, Anargus Vualdeburgius, Henricus Colditius. Hæc actio confecta est conuentu Grimæ instituto , tempore brumali.

## M C C C V I .

123. 15. Venceslaus rex Boëmiae nomine Alberti Imp. rexit terram Misnensem : quibus temporibus Misnia suis dominis ferè erupta , & calamitatibus multis afflita est.

## M C C C V I I I .

123. 18. Fridericus Landgravius Turingiae , auget redditus Misnenses , testibus Gunthero & Henrico Suarceburgijs , Gunthero Kefenbergio , Henrico Stolbergio.

## M C C C X I I .

124. 12. Vuitigonem alij scribunt Henrici Colditii filium , cuius item filij sunt Henricus & Thymo , huius præfusilis fratri sui patroni eximij: quorum auunculi Hermanus, Richardus, Henricus, Ulricus Burggrauij Golssinensis, sape ipsum subleuarunt pecunia, quia tempore vixit difficilimo.

## M C C C X X X V I .

127. 8. Vuitigo emit arcem Libetalam supra Pirnam oppidum, consensu Iohannis regis Boëmiae, & comitis Lutzelburgij. Interfuerunt Iohannes præfus Olomucensis, & Rodolphus dux Saxonie, Iofredus comes Liningius.

## M C C C L X X X V .

136. 7. Vuenceslaus Imp. petiuit, vt Pragensis antistes Ecclesiae Misnenis, aliarumq; fieret Metropolitanus: eam flagitationem iniustum iudicauit Innocentius pontifex.

M C C C C I I I.

138. II. Mense Februario Albis ita inundauit, vt sublimis pontis frangeret, & per tres portas urbem intraret.

M C C C C V I I I.

139. 9. Iohannes præsul tertio post resignatione anno obit Budissinæ X. Cal. Martij, conditus in Franciscano. Eodē anno Albertus princeps Anhaltinus fidē dat Thionii præsuli, & Gesnitij oppidi possessionē ab eo accipit.

M C C C C X X X I I.

146. 7. Tanta autem fuit hæc ultima, vt post curiam in vico Palatino homines cymbas ingrederentur, & super muros nauigarent, usque ad montem Zeilanum, ibidem egressi è lintribus aut nauigijs.

M C C C C X X X I I I.

146. 10. Trebisa v i i i. Cal. Aug. ita excreuit, vt maiorum & pomerij partem deiceret.

M C C C C L.

152. 25. Hoc tempore cœpit vitro pellucido includi panis azymus, quem in cœna Domini populo sacrifici porrigebant: ipsa item vitra auro argenteone circumdari, vt spectanda primitum per templa proponerentur, tum per urbes vicatim circumgestarentur, cum cantu solenni, & instrumentis Musicis, & sparsione florum. Idq; quinto post festum Trinitatis die siebat: quam ceremoniam importauit in Germaniam Cusanus Cardinalis, & legatus Pontificius.

M C C C C L I.

152. 19. Albis ripas transcendit, x x i i i. Junij, quod hoc

M C C C C X C V I .

165. 10. Inter pastorem Grodensem dicēcēsis Hanen-  
sis , & inter Listium Cōceritum , in insula Elistri habitan-  
tem , rixa in via publica oritur , non procul ab Hana op-  
pido . Cum ad arma esset peruentum , nobilis vulneratur  
adeò grauiter , vt post dies aliquot moreretur . Cum filij  
interfecti ad causæ cognitionem vocati , s̄epius abescent:  
delata res est Misnam ad præpositum Afranum . In Stol-  
pensi carcere vltra tempus annum detenus sacerdos est ,  
inde Mogellam ductus , præter omnem opinionem è vin-  
culis euadit . Occisi cognatus , qui Drebcauiæ sedem ha-  
bebat , audita illa fuga , manu nobilium collecta Vurcinam  
veniens præsulem prouocat , & in vicinia urbis casulam  
rustici , & ouilia præsulis incendit , inde Grodensem etiam  
cremat parochiam . Sed facti tandem pœnitens , gratiam  
præsulis implorat & impetrat , non tamen sine magno rei  
familiaris detimento .

M D X X X I I I .

186. 5. Quid ante mortem in ipso agone locutus sit  
optimus princeps , his versibus scripsit Vrſinus Velinus ,  
quos à viro nobile Bernardo Ratschitio , eius tum Mare-  
schallo , accepi .

Nuper cūm Iuuenum ter formosissimus unus  
Saxonia Princeps , dignus amore Dei ,  
Oppeteret mortem , & fati obsequeretur acerbo  
Imperio , loquitur talia verba pius :  
Omnia qui fecit Deus , & nunc facta gubernat ,  
Solan habens vitæ , iura necisq; pater :  
Iste vel exerto digito quemcunque vocarit ,  
Regibus ex ipsis , Cesaribusq; sacris :  
Prompte huic parendum est , occurrentumq; vocanti :  
Nemo potest nutus effugere huius homo :  
Quippe nihil , cunctis aquis discriminat , inter  
Mortales pariter Crasus & Irus erunt .

In Stam-

In Stamsiano cœnobio Cisterciense conditus, in quo  
etiam tumulos habent Sigmundus Austriae dux, & Maria  
Blanca Mediolanensis, Cæs. Maximiliani vxor.

## M D X L V I I.

<sup>201.</sup> 10. Nomina eorum sunt, qui missi Vuitebergam,  
Caspar, Hugoldus, Laurentius, Schonbergij fratres, A-  
pollo & Ditericus Rulicci, Nicolaus & Alexander Milti-  
cij, Theodericus, Petrus, Echardus Gansij, quibus erat  
adiunctus Blasius frater meus, qui Vuitebergæ ab Hispa-  
no est in caput vulneratus, Georgius Carolonicus, Io-  
hannes Berbisdorfius, Honorius Grunbergius, Iohannes  
Vuarta, Nicolaus Erdmandorfius, Christophorus Har-  
tuschius, Alexander Pflugus, Christophorus Leutschius,  
Iohannes Staupicius, Georgius Spora, Thophilus Com-  
merstadius.

## M D X L V I I I.

<sup>203.</sup> 24. Bernardo Pfluger Christophorus Pfluger &  
Georgius Fabricius opt. spei alumno pater & magister F.  
F. Obiit X. Cal. Jun.

*Chare puer pulchras à me formatas in artes,  
Quantæ patri heu auferis gaudia, quanta mibi?  
Estudis veros tibi dum meditamus honores,  
In teneris annis, ut rosa verna cadis.*

## 242. 10. Eruum.

Iumentis prodest, homini noxiū. Hoc depræhensum  
in Thracia, qui enim urbem Aenum habitant, cùm tem-  
pore famis eruum comedissent, doloribus genuum vni-  
uersi laborarunt.

## 245. 10. Heliotropium.

In hanc puella Clitic est conuersa. Ouid. 4. Met.

*Lividus exangues pallor convexit in herbas :  
Est in parte rubor, violæ, similimus ora  
Flos tegit : illa suum, quamvis radice tenetur,*

*Veritur ad solem , mutataq; servat amorem.*  
Lotichius Secundus Eleg. lib. 2.

*Grataq; se vertens ad euntis lumina solis ,  
Vnde sui causam nominis herba tulerit.*

## 245. 33. Hyacinthus.

Idem ibidem.

*Nec ferrugineus , Tyrioue simillimus ostro  
Flos tener , Oebalo sanguine tinctus , abest.*

## 246. 9. Inguinaria Aeginetæ.

Aster Atticus ab eodem : creditur & illitu , & attactu , &  
( quod supersticiosum est ) sola appensione , hulcera bu-  
bonia sanare.

## 250. 17. Melilotus.

Lotichius in Nicro , flore comantem  
*Luteolo meliloton.*

## 253. 7. Ozymum.

Basilien

A grauitate odoris. Parens scorpionum , qui in locis  
calidis tam ex virente herba , quam arida gignuntur. Ae-  
milius Macer in Orinthogonia , genere masculino ,  
*Inter præteritas numerabitur ozymus herbas.*

## 258. 24. Siliqua Græca.

Johansbrode

Frutex eius , vulgari nunc Græcorum lingua , Xyloden-  
dron. Nascitur etiam in Campania , fructus sapore dulcis  
est.

## 261. 11. Veneris capillus ,

Mauterpfeffer.

Plinio Adiantum. herba viridis perpetuò , aquis accola , &  
aquis non madescens. Lotichius Eleg. lib. 2.

*Quæq; licet riuis gaudens , aspergine nulla  
Vda fit , aut pluvijs tecta madescit aquis.*

INDEX IN FABRICII  
 libros rerum Misnicarum, & Siffridi Epitomen, in quo

<i>Ant.</i>	<i>Antistes vel Archiepiscopus</i>
<i>Brand.</i>	<i>Brandenburgius</i>
<i>Brunsf.</i>	<i>Brunsvigius</i>
<i>Burg.</i>	<i>Burggrauius</i>
<i>C.</i>	<i>Comes</i>
<i>D.</i>	<i>Dux</i>
<i>El.</i>	<i>Elector</i>
<i>Fl.</i>	<i>Fluuius</i>
<i>Imp.</i>	<i>Imperator</i>
<i>In Gen. Loth.</i>	<i>In Genealogia Lotharij</i>
<i>In suppl.</i>	<i>In supplemento</i>
<i>L.</i>	<i>Landgrauius</i>
<i>Mans.</i>	<i>Manfheldius</i>
<i>March.</i>	<i>Marchio</i>
<i>Misn.</i>	<i>Misnensis</i>
<i>Opp.</i>	<i>Oppidum</i>
<i>Pont.</i>	<i>Pontifex, vel Papa</i>
<i>Præf.</i>	<i>Præfectus</i>
<i>Præp.</i>	<i>Præpositus</i>
<i>Præs.</i>	<i>Præful, vel Episcopus</i>
<i>R.</i>	<i>Rex</i>
<i>Sax.</i>	<i>Saxoniae</i>
<i>Tur.</i>	<i>Turingiae.</i>

*Significat*

*Aa*

*Abbas*

## A

- Abbatis & Monachorum conten-  
 tio 163  
 Abel R. Dacia parricida 317  
 Academia Lips. Misnam transla-  
 ta 179. 200  
 Accaron vrbs à Saracenis capta  
 329  
 Acclamatio fausta in Carolum  
 Magnum 290  
 Acha soror Edmundi R. Angliae  
 285  
 Adamus Siberus 285  
 Adela Othonis March. Misn. filia  
 104  
 Adelgodus Ant. Magdeburgius  
 92. 305  
 Adelheidis coniunct Othonis Imp.  
 295. & in suppl. 79.  
 Adelheidis Antiflita Quedelnbur-  
 gia 86  
 Adelheidis Monialis in Cenobio  
 S. crucis Misna 151  
 Adelheidis Schleinicia 128  
 Adolescentis homicida 93. 132  
 Adolescentes duo in Albi submersi  
 142  
 Adolphus Praef. Mersburgius 180  
 Adolphus R. Roma. 48. infensus  
 Misnensibus 120. 121. Seurus  
 330. 331. 332. Occisus 122  
 123. 128. 332.  
 Adolphus Schauenburgius 8  
 Adorphum Opp. 27  
 Aenigma de vrbe Misna. 73  
 Aequanimitas Principis in ad-  
 uerfis 32  
 Affabilitas Imperatoris 324  
 Afrani Cenobi edificia instaurata 131. aucti reditus 101.  
 Afrani Præp. ante mortem pia  
 preparatio. in suppl. 111.  
 Afranum Cenobium 74. 87. 118  
 Afranus Indus, vide Ludus.  
 Afranum templum 73  
 Afranum pomarium ampliatum  
 109  
 Agatha Alteriana sudans san-  
 guinem 207  
 Agatha Berensteinia Abbatissa 161  
 Agnes Berensteinia Vicaria 158  
 Agnes Dedonis C. Rochlich filia  
 101  
 Agnes soror Vuenceslai R. Boë-  
 mie. in suppl. 110.  
 Agnes monialis in Cenobio S.  
 Crucis 151  
 Agnes vxor Alberti II. El. SAX.  
 17  
 Agnes vxor Henrici III. Impe.  
 302  
 Agnes vxor Henrici March. Misn.  
 116. 118  
 Alani populi 288  
 Albeis foemina 47  
 Albertus Anhaltinus 144. Et in  
 suppl. 118. 139.  
 Albertus Ant. Magdeburgius 20  
 Albertus II. Ant. Magd. 104  
 Albertus Ant. Bremensis 89  
 Albertus Austriacus R. Rom. 49  
 Alber-

I N D E X.

- Albertus Brand. 147  
 Albertus Burg. Aldenburgius 111  
 Albertus Burg. Leisnicius 136  
 Alb. Burg. Misn. 124  
 Alb. C. Babenbergius 280  
 Alb. C. Charenensis 50  
 Alb. C. Glichenensis 117  
 Alb. C. nepos Othonis D. Sax. capite punitus 294  
 Alb. C. Orlamundanus 117  
 Alb. D. Austriae 327. 329. 337.  
     R. Rom. 332. 335. 337. 340.  
 Alb. D. Bruns. 52  
 Alb. D. Sax. conditor arcis Misenensis 74. 125. captus in prælio 321. ♂ in suppl. 110  
 Alb. D. Sax. 157. 157. 167. Ant. Maguntinus 160.  
 Alb. Dapifer de Brene 115  
 Alb. I. Imp. 103  
 Alb. Imp. occisus 123  
 Alb. I. El. Sax. 16  
 Alb. II. El. Sax. 17  
 Alb. III. El. Sax. 21  
 Alb. Electoris Ernesti F. 27  
 Alb. I. Superbus March. Misn. 44.  
 Alb. II. Degener March. Misn. 46. 118  
 Alb. III. Animosus March. Mis. 57  
 Alb. March. Brand. 31. 35  
 Alb. L. Tur. 122. 321. 325. 331.  
     & in suppl. 116.  
 Alb. I. Präf. Misn. 96  
 Alb. II. Präf. Misn. 110  
 Alb. III. Präf. Misn. 123  
 Alb. Vrsus D. Brand. 8. 18  
 Albina porta Misna extructa 175  
 Albinorum piscium catalogus 220  
 Albinus Präf. Mersburgius 304  
 Albinus Vicus Misna 200. 207.  
     214.  
 Albus fl. 72. 263. ardere visus.  
     85. inundans, vide Inundationes. Vadosus siccis effatibus.  
     174. bis uno mense glacianus.  
     213. ter vna hyeme. 176. 169.  
     in eo submersi homines 142.  
     157. 174. 145. 181. 203. 204.  
     211. 217. 229. 232.  
 Alboinus Magister Caroli Magni 290  
 Albulæ fl. 72  
 Aldenburgij Burggrauij 111  
 Aldenburgij Canobij fundator 99  
 Aldenburgum vrbs Osterlandie 24. 50. 55. 57. 96. 125.  
 Aldigerus Präp. Halberstadius 85  
 Algator cognomen Lotharij Imper. 5  
 Alemania 324. 336.  
 Alexander D. Sax. 150  
 Alexander Pont. 307  
 Alexander III. Pontif. 318  
     320.  
 Alexander v I. Pont. 169  
 Alexander R. Polonia 174  
 Alexander Milticius 201. ♂ in  
     suppl. 20.  
 Alexan-

I N D E X.

- Alexander Pfugus, in suppl. 201  
 Alexius Pratorius Pastor Misn.  
 219  
 Alpes Rhetica 34  
 Altachense monasterium 299  
 Alueldius aduersarius Lutheri  
 178  
 Amator furiosus 132, 319  
 Ambrosius C. in Italia suspensus  
 293  
 Ambrosius Boresdorffius medicus  
 193, 194  
 Ambrosius Franciscus 182  
 Ambrosius Hanboldus faber 187  
 Ameleis Alberti D. Sax. filia 169  
 Ameleis Friderici II. El. Sax. fi-  
 lia 147  
 Amelungus Praef. Mindensis 3  
 Ameslebij Comitatus, in Gen. Lo-  
 thar. 10  
 Amnicola aduersarius Lutheri  
 178  
 Anargus Vuuldeburgius in suppl.  
 118  
 Anargus Vuildenueflius 164  
 Anastasius Imp. 286  
 Andreas Agricola 212  
 Andreas Crellius 174  
 Andreas Fabricius Georgij F. 216  
 Andrea Ellingeri Carmen in An-  
 nales Fabricij 66  
 Andreas Francus Camicianus 186  
 188  
 Andreas Reichius 212  
 Andreas Tetelbachius Prap. Afra-  
 nus 174  
 Andreas Vngarus Sophista 192  
 Angelica custodie exempla 193.  
 200, 207, 214, 225, 226.  
 227, 229, 334.  
 Angelici numi adulterati 169  
 Anglici reges Christiani 285  
 Anglicus morbus 183  
 Anhalti castellum dirutum 95  
 Anhaltina arx incensa 11  
 Anhaltini Principes Electores 2.  
 Anna II. El. Sax. filia 147  
 Anna de Bethschitz 189, 190  
 Anna Friderici Graui L. Tur. si-  
 lia 128  
 Annales Fabricij 63, 65, 66, 67,  
 264, 270.  
 Annebergensis ludi Rector Leon-  
 hardus Badebornus 272  
 Annebergi Cenobium conditum  
 172  
 Annebergi leticia extinctus Nico-  
 laus Graupa 187  
 Annebergi pastor Pfennigius 173  
 Pfendnerus 102  
 Annebergum rrbs. condita 58.66-  
 lebrata carmine Michaelis  
 Barth Civis 264  
 Anno Ant. Colonensis 89  
 Annonae caritas & difficultas 76.  
 81, 88, 96, 99, 117, 123, 125,  
 131, 146, 148, 153, 160, 170,  
 176, 219, 229, 323, 327.  
 Annona vilinea 66, 171, vide Co-  
 pia.  
 Annus calamitosus 123, 129  
 Anjer

I N D E X.

<i>Anser loco Spiritus S.</i>	283	<i>Aribo Moguntinus</i>	87
<i>Antenor</i>	288	<i>Arietatio</i>	208
<i>Antiochia Saracenis erecta</i>	302	<i>Armeniaci</i>	54
<i>Antistitium inter se confictum</i>	321	<i>Armilausa vestis</i>	111
<i>Antonius Lauterbachius Theologus</i>		<i>Arnoldus Vuestphalus Architectus</i>	
	203	156.	
<i>Antonius Margarita Theologus</i>		<i>Arnolphus D. Sueorum</i>	300
185. 205.		<i>Arnolphus Imperat.</i>	76. 292.
<i>Apicius Cunegundis Isenbergiae F.</i>	47		293
<i>Apollonia Mollerina Monialis in Albi perit</i>	203	<i>Arnus Praef. Vuurceburgius casus</i>	76
<i>Apollo Ruliccius, in suppl.</i>	201	<i>Arriani heretici</i>	280
<i>Apollonius Vicethumus</i>	23. 25	<i>Arriani blasphemata</i>	278
<i>Apotheosis Benonis Praef. Misn.</i>	180	<i>Arx Misnensis, vide Arces.</i>	
<i>Apulia recuperata Imperio</i>	298	<i>Ascania arx cretata</i>	13
<i>Aqua potabiles vendita</i>	157	<i>Ascanij Duces</i>	15
<i>Aqua statua</i>	225	<i>Athanasy Imp. interitus</i>	278
<i>Aqua nigra fl.</i>	72	<i>Auaricia noxia religioni</i>	3
